

victum de evictione, ut habetur apud Carleval. loc. cit. n. 703. in cuius casu non verfabatur, quia si gabellarius per creditores victus esset, nil Fifco intererat, cum non per hoc aliqua evictionis actio contra eum haberi possit.

8. Uno autem casu eadem, gabellarii & Cameralium si bi adhaerentium praetentionem aliquam habere posse probabilitatem, quando disputari coningeret de puncto potioritatis; An scilicet mercatoribus vinum credentibus illa competeret adversus gabellarium creditorem ex causa gabella, vel e converso eadem potioritas competeret gabellario ex dicta causa adversus alios creditores, cum tunc ageretur de puncto praedicti habentis tractum successivum, ac recipiente ipsum gabellam in genere, cum praedictio Camerae, quae proinde dicere potest, id non ab alio quam a suo iudice iudicandum esse; Sed huiusmodi quaestiones hodie vix per iuris tramites decidi solent, cum irreperitur usus Cameralium super quibuscumque incidentibus procurandi Pontificia Chirographa, ut in praesenti audio factum esse super potioritate gabellarum, de qua potioritate habetur actum in una Romana gabella, seu concussus sub rite de credito.

Alliam disputationem habui in Signatura Iustitiae circa istam iurisdictionem ripalem in una Romana Vallonia inter quosdam hebraeos orientales, quorum unus causam introduxerat coram d. Camerario, & alter coram A. C. Atque ad istum, non autem ad illum spectare dicebam causae cognitionem, quamvis controversia esset occasione mercium, quae per flumen ad ripam advenerat, quia dicta Constitutio Clem. VII. Pauli III. & Pii IV. agunt de controversiis habendis occasione rerum ripalium, vel ab illis emergentibus & dependentibus ex causa pretii illarum, de quibus habeatur fides, vel alias contractentur inter mercatores, nautas & alios, commercia pro rebus ripalibus cum eisdem mercatoribus & nautis habentes, ut liquet ex Constit. Pii IV. quae latius patet, & sic in concernentibus ipsum mercionem ripale ad negotiantes facilius alliciendum, & ne ab illis coram aliis iudicibus cum rela iudicaria sublinenda, cogantur navigationem, & negotium deferere, quod privilegium dicebam originem trahere a iuris communis dispositione, vel intentione, qua attendit in nudinis, portibus, aliisque locis negotiationi destinatis huiusmodi iudicium summarium, ac planum, & de facto datur, quod vocatur iudicium mercatorum, ex deductis per Maranta in pr. xi. p. 200. ff. de iudicium mercatorum, ex nu. 49. ad fin. ubi Follierus in addit. ex Bal. & aliis quos allegat, subijungit, huiusmodi iudicium coram Consilio mercatorum, vel aliis ad id deputatis, locorum habere solum in rebus & materiis mercantilibus, de quibus tamen controversia sit occasione ipsius mercationis, & commercii mercantilis; Prout ubique praedictum in causis, quae ita tractantur coram Magistris nundinarum, in quibus terminis dicto casu non verfabatur, quia controversia erat super credito pecuniarie contracto in insula Cretae, ten alibi, cum conventionio illud solvendi ex pretio vallone, quae transmittatur ad Urbem, ut ibi venderetur, nam alias omnes causae pecuniarie inter Barones & Cives Romanos tractari deberent in hoc foro, occasione frumenti, vini, aliarumque rerum, quae gratia commodioris transportationis ad Urbem per flumen veluntur, & ita resolutum fuit.

LEODIEN. UNIONIS PRO PP. PRAEDICATORIBUS GERMANIE INFERIORIS

CUM CAPITULO ECCLESIAE N.

Causa disputata in Signatura Iustitiae, & resoluta infra.

An A. C. in secunda instantia iurisdictionem habeat in causis beneficiis, & quando ista dicantur tales.

S U M M A R I U M.

- 1. A. C. est iudex appellationsis ab omnibus causis extra Curiam.
2. Electio est appellationsis de pluribus iudiciis.
3. A. C. non habet iurisdictionem in beneficiis, quod dupliciter declaratur.
4. Quando causa dicitur beneficiis, necno.
5. Causa Leodiensis committitur in Rota.

D I S C. LXXXIV.

1. Facta per Sedem Apostolicam unione quorundam beneficiorum ad favorem Patrum Ordinis Praedicatorum Ger-

maniae inferioris; Cum literarum Apostolicarum desuper expeditarum executione se opponeret capitulum Ecclesiae N. atque in partibus sententia dicti Religiosis praedictis prodidisset, interposita per eos appellatione, causam introduxerunt coram A. C. E converso autem capitulum praedictum curavit causam per Breve Apostolicum committi alteri iudici in partibus; Atque in iurisdictione controversia, aduentibus partibus Signaturam iustitiae.

Pro dictis Regularibus scribens, dicebam fundatam esse eorum intentionem pro remissione causae ad A. C. cum non dubitetur ipsum esse iudicem competentem appellationsis in quibuscumque causis extra Curiam, ut constat ex eius facultatibus impressis post Salut. in eius praxi, & etiam deductum habetur per Sacc. de appell. q. 8. nu. 99. & 155. & saepius dixit Rota, praesertim dec. 36. n. 1. & 28. p. 10. rec. Data vero competentia, certum est, electionem esse appellantis, ex deductis per eundem Sacc. d. trad. q. 5. n. 99.

Non negabatur haec per alterius partis defensores, ut potest notoria, & quotidie praedicta, sed dicebatur ea procedere in aliis causis, non autem in beneficiis, in quibus quicquid aliquando dubitatum fuerit, hodie per Signaturam & in Curia receptum est, A. C. non habere iurisdictionem, neque esse iudicem competentem, quod ego stante moderna praxi, & opinione, in qua residet Signatura non negabam, dum etiam Rota non semel eundem sensum habuit, ut praesertim habetur apud Achill. dec. 24. de appell. Greg. & add. dec. 118. n. 4. Coccin. dec. 169. n. 1. Cavaler. dec. 32. & 124. d. 99. n. 20. p. 10. rec. & in aliis.

Replicabam tamen, vel id non procedere, quoties non agitur de decidenda causa beneficiis in petitorio, sed solum ubi de simplici executione literarum Apostolicarum pro assumptione possessionis beneficii in processu executivo competente literis Apostolicis, quarum generaliter A. C. est executor, etiam si essent foveae provisione beneficii iuxta modernas facultates ex deductis per Coccin. dec. 169. n. 5. Royas dec. 315. n. 4. add. ad Burat. dec. 299. n. 6.

Vel obiectum non intrare ex defectu applicationis, eo quia non agebatur de causa beneficiis, quae tunc dicitur, quando agitur inter duos provisos contententes de titulo, ac pertinencia beneficii; Secus autem ubi lis est super iure conferendi, vel praesentandi, sive super unione, ac similibus controversiis, in quibus beneficium fit bene occasio litis, illa vero non percutit eius titulum, vel pertinentiam inter duos provisos, sed diversum effectum, ut magis latet in materia, casus distinguendo, habetur apud Coccin. dec. 42. Et in specie, quod ubi agitur de unione, causa non dicitur beneficiis, Coccin. dec. 169. n. 2. Cavaler. dec. 472. n. 4. Greg. dec. 362. n. 1. adden. ad eundem. dec. 174. n. 7.

Signatura, consentiente hac parte, immo desiderante, causam commisit Rota cui causa Leodiensis committi solent, apud Burat. dec. 285. n. 6. ubi add. Id enim quod effugit querebatur, erat, ne remitteretur iudicibus de partibus, coram quibus ob maiorem capituli oppositoris potentiam, Partes de eorum iustitiae admisione factis dubitabant, cum saepius ista, quae solum ordinem concernunt, ad iustitiam, ac negotii principalis determinationem influere soleant.

ANNOT. AD DISC. LXXXIV.

Super puncto, an A. C. habeat iurisdictionem in beneficiis, ac etiam in matrimonialibus, videri possunt ea, quae insinuantur in relat. Curiae, l. 15. d. 34. ubi de hoc Tribunali, ejusque facultatibus.

ROMANA DECIME

PRO CARDINALIBUS RAGGIO ET LOMELLINO

CUM CAMERA APOSTOLICA.

Causa resoluta per Congreg. particularem deputatam pro dictis Cardinalibus.

De iurisdictione Theaurarii Generalis competente ex Constitutione 100. Sixti V. dictique Theaurarii participatione de decima omnium incamerationum; An procedat in Provinciis & Regionibus extra Italiam, in quibus accidentaliter contingat, eundem Theaurarium aliquam superioritatem, vel auctoritatem habere.

An eadem iurisdictione in eodem loco, vel genere possit pluribus eodem tempore competere, & quando

do ejus specialis concessio nisi facta censeatur cumulativa ad alterum, vel privativè.

S U M M A R I U M.

- 1. De iurisdictione Theaurarii generalis ejusque participatione de spoliis.
2. Officium collectoris spoliarum aliis erat diversum ab illo Theaurarii.
3. Pars addita, vel reversa ad Regnum vel Principatum cadit sub eadem iurisdictione & legibus.
4. Sub legato reventis pars addita.
5. An dari possint duo capita in eodem corpore, & sic duo cum eadem iurisdictione, declaratur.
6. Causa eadem iurisdictione pluribus, censeatur in dubio cumulativè.
7. Dantur plures casus in iure, in quibus per iurisdictionem datam non censeatur adempta iurisdictione alterius.
8. Per deputationem Praefectoris particularis non censeatur adempta iurisdictione Praefectoris generalis.
9. An detur hic concursus in iurisdictione delegata.
10. De quarta parte paene competens iudici in causis in conventionem.
11. Quando descriptum Principis directum Officiali ordinario dicitur importare delegationem, vel excitationem iurisdictionis.
12. Exercens duplex officium percipere potest duplex emolumentum.

D I S C. LXXXV.

Disponente Constitutione 100. Sixti V. Theaurarium Generale esse debere universalem collectorem omnium spoliarum per Italiam, excepta Nunciatura Regni Neapolitani; Nec non participare debere de decima parte omnium incamerationum, exceptis illis quae fierent in Regno praedicto, ac etiam excepta Nunciatura Hispaniarum, de cuius spoliis & emolumentis ad Urbem transmittendis, Theaurarius pro sola quinquagesima participat.

Cum Principatus Cataloniae, & Comitatus Rossilioni sub Hispaniarum Nunciatura existerent, ob immutatam de facto dominationem continuare non possent sub praedicti Nuncii administratione, & iurisdictione; Hinc proinde Sedes Apostolica per modum provisionis, & ne interitus ejus iuris ita praedictarum remaneret, in iurisdictione Provinciae Hispaniarum Generali spoliarum, curam, & administrationem commisit, ut ibi commissarios, aliosque ministros a praedicto Nuncio alios deputari solitos deputaret; Sed post aliquod tempus per literas in forma Brevis particularium Collectorum direde ibidem deputavit, qui tamen Theaurario praedicto quamdam subordinationem tanquam inferiori ministeri semper praesens esse, agnovit, recipiendo ab eodem ordine opportunos circa pecuniarum transmissioem, & alia contingentia; Quibus factis stantibus, tam Cardinalis Raggius pro tempore quo fuit Theaurarius, & sub quo ista innovatio contigit, quam Cardinalis Lomellini in officio successore, suum decimam, eodem modo, quo de ceteris Italiae spoliis percipiunt, de istis etiam perciperent; Verum in computorum redditione, opponentibus Cameralibus, quod de huiusmodi spoliis, non decima, sed solum quinquagesima eis debita esset, atque deputata per Papam Congregationem particulari aliquorum Clericorum Camerae.

Assumpta desuper disputatione, praecipuum ac totum fundamentum Cameralium in eo consistebat, quod Theaurarii iurisdictione cum iure participandi de decima, restricta esset ad Italiam, expressè exceptis, tam Nunciatura Regni Neapolitani, quam illa Hispaniarum, sub qua ista Provincia veniebat. Unde cum de iure communi statutum non esset; quod Theaurario aliqua participatio deberetur, atque illa competens ex dicta Constitutione restricta esset ad certas provincias, vel regiones, illas egredi non poterat; Et multo minus ex tempore quo particularis Collector per Papam directè & immediate deputatus fuerat, cum hic dicens esset subrogatus in locum Nuncii Hispaniarum, ejusque partes supplere; & per quam deputationem cessasse dicebant eam iurisdictionem, seu administrationem, quae provisionaliter, donec ad huiusmodi deputationem deveniret, Theaurario demandata erat.

Pro dictis autem Cardinalibus pro tempore Theaurarii scribens, distinguendo pro faciliiori resolutione questionem in duas inspectiones, Unam scilicet pro tempore quo solus Theaurarius absque dicto speciali Collectore administravit. Alteram vero à dicta deputatione citra; Quate-

nus pertinet ad primam, ponderabam, attento tenore dictae Constitutionis Sixti respectu decimae, vel aliorum emolumentorum ad Theaurarium pertinentium, nullam adefe restrictivam intra Italiam, vel alios fines, cum in §. 8. cum duobus seqq. & §. 42. post med. generaliter & indefinitè sibi concedatur decima, & taxa, aliaque emolumenta de spoliis, bonis vacantibus, ac redditibus male perceptis, necnon illicitis negotiationibus, & quibuscumque incamerationibus & proventibus huiusmodi.

Restrictiva autem, seu enunciativa Italiae legitur, tam in §. 2. quam in §§. 12. & 18. quoad exercitium collectoris iurisdictionem & facultatem exigendi. Possunt autem simul stare quod iurisdictione Theaurarii in ordine ad collectoriam restricta sit intra certos fines, vel casus, jus autem emolumentorum ratione Theaurariae sit indefinitum, & generale, ita ut ista sint duo munia, alias separata, ita in simul unita, idedque diversis modis ac respectibus exercenda, & regulanda, cum eisdem Constitutionis tenor ostendat, praerogativa temporibus unum officium fuisse ab alio separatam.

Quodque jus participandi de emolumentis iuxta ratas, vel ab antiqua consuetudine, vel à dicta praescriptione taxatas, sit quid diversum à collectoria comprobatur dicebam ex eo, quod collectiam intra Italiam, duo adiunt Principatus habentes Collectorem, qui habeat annexum duplex munus Nuncii & Collectoris Apostolici, ut sunt Ducatus Sabaudiae, & Ducatus Florentiae, in quibus absque dubio Theaurarius eandem non potest Collector. Et nihilominus Theaurarius eandem decimae participationem habet. Ergo decima non est ratio collectoriae ita restrictae, sed est ratio participationis quae Theaurario, generaliter & indefinitè in casibus non limitatis competit; Prout in Regno Neapolitano, & in illis Hispaniarum, Theaurarius nullam exercet collectoriam, & tamen participat de quinquagesima, non ratione muneris Collectoris, sed ratione alterius muneris Theaurarii.

Idedque stante quod respectu participationis independentis à collectoria, ejus intentio incamerationibus ubicumque fiant, cessante solum in casibus exceptuatis, tanquam in limitationibus regaliae generalis, pñdens erat, stante exceptione Nunciaturae Hispaniarum, sub qua ista eadem Provincia comprehenditur retroactis temporibus solita erat, & ex cuius spoliis Theaurarius non nisi quinquagesimam percipere consueverat. An eadem Provincia pro tempore quo fuit dicto Hispaniarum Nuncio non esset; sed sub eisdem Theaurarii administratione immediata, vel mediata ut supra, & regulari deberet iuxta antiquum morem, vel potius eo modo, quo reliqua loca non exceptata regulantur.

Atque in hoc probabilius pro jure Theaurarii cum sensu etiam veritatis, omnino respondendum dicebam, quia exceptuatio non est de ipsis Regnis, Provinciis, vel locis, sed de ipsa Nunciatura, idedque intelligenda est de illis locis, quae sub dicta Nunciatura iurisdictione & administratione veniunt, cum limitatio sit ratione Magistratus. Unde quemadmodum si Sedes Apostolica aliquam instulam Italiae adjacentem, seu etiam aliam partem dictae Nunciaturae uniret, ac submitteret, ista pars, tanquam species alluvionis eandem in proposito assumeret naturam & qualitatem, quia exceptuatio est de Magistratu, non de locis. Ita e converso, si ab eodem Magistratu, vel Praefidato aliqua pars dimembraretur, vel accidentaliter cessaret, illa tanquam in casu extra limitationem, & tanquam per reversionem ad suam causam generalem, dicitur esse in casu regule, & consequenter cadere sub iurisdictione & administratione Theaurarii tanquam Officialis Generalis iura Camerae administrantis in omnibus illis locis, in quibus cesset illa specialis circumstantia, quae ab huiusmodi generica iurisdictione eximitur.

Utpote pro toto Regno deputatur Vicarius, vel alter Magistratus Generalis, cui aliqua causarum univertitas demandata sit, à qua iurisdictione exempta sint loca in feudata, proprios feudatarios ac Dominos mediatos habentia; Si casus praebat, quod feudum devolvatur, vel alias cesset illa causa, quae eam Regni partem à iurisdictione Vicarii Generalis seu à legibus Regni exceptuabat, tunc tanquam pars totius, revertens ex cessante ratione separationis ad suam integritatem, & causam, illi cedit sub dicta generica iurisdictione ac legibus ex theor. Guglielm. de Cuncto in l. 2. si convenit, §. si munda, ff. de pignorat. action. ubi optime Bar. cum quo ceteri pertranseunt, Balan. cap. Imperial. §. Pratered. Ducatus, n. 7. in fine de prohib. feud. alienar. per Feder. Nat. conf. 340. n. 25. & habetur deductum in Urbinaten. sub rite de feud. ad materiam Bullae Baronom, dist. 83. ubi quod dicta bulla, utpotè comprehendens solum Statum medietatis, de

cessit creditores ad forum suum diversae Provinciae, & Principatus, ut rejecta sententia Angeli & aliorum, de quibus apud Carley. de iud. tom. 1. q. 5. n. 290. magis communem esse opinionem Bar. & sequacium, post Barbof. in eadem l. ab isto torum mutando. probat Carley. ibid. n. 288. & 292. ac habetur apud Franc. dec. 234. 364. & 553. ubi solum dubitatur in casu privilegii competentis, vel de iure communi heredi ex persona propria, ut est illud Lunic. C. quando imp. vel etiam de iure speciali, de quorum neutro in praesenti agendum erat, quia neque unum, neque alterum concurrat.

3 Considerabam praeterea, tunc aliquam difficultatem in hoc puncto cadere posse quando ageretur de actione mere personali contra ipsum heredem in persona, & bonis propriis, quia absque beneficio inventarii & iuris novissimi, tanquam effectus una & eadem persona cum defuncto, teneatur in solidum, & de proprio creditoribus hereditariis, ut ante inventum beneficium inventarii de iure dispositum erat. Secus autem ubi agitur de herede beneficiario, atque creditor non agit contra eum personam, & bona propria, sed contra bona hereditaria, in ipso defuncto foro existentia, ut in praesenti agebatur; tunc enim casus videtur planus.

Ex ea clara ratione, quod heres beneficiarius hodie non dicitur verus & proprius heres, sed potius reputatur tanquam administrator hereditatis, quae dicitur corpus fictum, seu intellectuale itans de per se, ita ut inter ipsam hereditatem, ac personam propriam heredis, sublatam per jus novissimum in l. fin. C. de iure delib. actionum consuetudine, adesse possint actio & passio, ob duas formales diversas personas in una persona materiali concurrentes, ex deduct. apud Mantica. dec. 326. Cypic. Latr. conf. 13. n. 2. & 3. Hodiern. contr. 21. n. 18. Rovit. dec. 48. n. 11. & passim in sua materia sub tit. de hered. Unde propter ea, cum hereditas, vel tota, vel pro majori parte, quae reliqua ad se attrahit, esset in urbe, ubi etiam domicilium habebat testator ibi defunctus, ac ubi hereditas aditio facta erat, ibi ipse defunctus representari dicitur, neque administrator ad alias regiones divertendo, trahere potest creditores, vel alios jus habentes super ipso corpore intellectuali existente sub sua administratione.

4 Quod clarius comprobari dicebam ex communi traditione originata ex Gl. magistrali in l. quod legatur, ff. de iud. cum qua pertransiunt Bar. Bal. Ang. Caltr. & ceteri ibid. Cyn. in Lunic. C. ubi de fideic. agi oportet, & alii de quibus in montis Alti, seu Maceratae fideic. hoc cod. tit. disc. seq.

5 Quando enim disputant praefati DD. & alii in quo foro heres ad legatorem, seu fideicommissorum praestationem cogi possit, distinguunt, quod aut agitur de legato speciei, ad quam intentetur iudicium reale, & istud intentari possit, vel in loco domicilii heredis, vel in loco ipsius rei sitae; Aut de legato quantitatis, seu generis, vel etiam de legato speciei petendo in actione personali, & tunc, vel in ejusdem heredis domicilio, vel ubi est hereditas, quae divisa in bona in diversis locis existentia, attenditur locus ubi est eius major pars, seu ut alii voluit, est eius caput, quasi quod actio fiat, seu regula sumi debeat a praedominanti, ut latius in d. Montis Alti disc. seq. Et quando per modum dubitandi excitatur, an effectus competentis fori defuncti, concludunt negativè, non ex alia ratione, nisi ex ea quod legatum, seu fideicommissum non est debitum defuncti, sed heredis, oriens post mortem testatoris, cuius persona in consideratione non habetur, quasi quod ubi ageretur de debito ipsius defuncti, pro absoluto apud DD. haberetur istius fori esse competentem, Multo magis, ubi copulativè concurrunt iste, & alter loci ipsius hereditatis, est eius major pars.

6 Accedente etiam alla viva ratione nimium manifesti absurdum alias ubique resultantis, foris verò in urbe, quae est communis patria, ex omnibus fere nationibus etiam Ultramontanis & remotis constituta. Proprius enim absurdum videtur, quod aliquo Civitatis Germaniae, Hispaniae, Gallo, Polono, vel alterius regionis in Curia vivente, ibidue majorem partem bonorum suorum habente, si iuxta regulariter prudentem ac laudabilem naturae ordinem, heredes instituat attingentes in patria originaria existentem, cogendi essent ad bona hereditaria in urbe existentia, quo nil absurdum, & contra communem praxim, unde propterea parum probabilis huiusmodi resolutio videbatur, nulli innoxia solido fundamento.

Quando siquidem DD. in d. l. quod legatur, ff. de iud. & in d. l. unicus, C. ubi de fideic. agi oportet, ac etiam in l. i. C. de

hered. agatur, firmanz competentiam domicilii heredis, non dicunt, quod etiam respectu legatariorum agentium in actione personali, iste effectus fori necessarius, sed solum illum firmanz per possibile, ad commodum se, & favorem ipsorum legatariorum, vel aliorum agentium contra heredem, qui conventus in loco proprio domicilii, exciperet de incompetencia, quodque conveniri non possit nisi in loco hereditatis, qui absolute supponitur magis proprie competentens, sed rejicitur exceptio ex eo quod etiam ille proprii domicilii talis reputandus esset, unde propterea iste forus fiat ampliativè, non autem privativè, & restrictivè ad alterum, qui supponitur forus magis regularis, ut ex lectura agentium de materia ut supra.

ANNOT. AD DISC. LXXXVI. & LXXXVII.

AD materiam istorum discussurum, in quibus agitur de herede, ubi fit convenienter, si bona sint in pluribus locis, sive ubi tractanda sit causa fideicommissi, vel majoratus, si pariter bona sint in diversis locis, vel cohaerentur diversis foris, videnda sunt ea, quae deducuntur sub tit. de succ. ab intest. disc. 9. & supra, n. 57.

MONTIS ALTI

SEU MACERATEN. FIDEICOMMISSI PRO BARBARA ET BEATRICE DE ANTONINIS CUM PATRIBUS S. DOMINICI MACERATÆ.

Causis disputatis coram A. G. resolutis pro Patribus, pendet in Roma.

De foro competenti in quo heres fideicommissi gravatus conveniri possit, vel debeat ad eius institutionem; Et quid de legatis & fideicommissis particularibus; Et aliqua de incompetencia Tribunalis A. C. in prima instantia extra Curiam.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 Ad inducendam veram contumaciam, & ut procedi possit per contradicendum, requiritur prima citatio personalis.
- 3 Defectus citationis unius influit in totam causam etiam respectu citatorum.
- 4 Citatus coram incompetenti non tenetur comparere, & non potest reputari contumax.
- 5 A. C. in prima instantia extra Curiam non est competentens.
- 6 Index regulariter incompetens si ex aliqua causa sit competentens, tenetur id exprimere in citatione.
- 7 Delegatus citando tenetur inferere delegationem.
- 8 Loca montium circumscriptur loco, & censentur esse Urbis.
- 9 Quis dicatur forus competens, in quo legati solutio, vel fideicommissi restitutio heri debeat, ex aminatur.
- 10 Idemque, ubi questio hereditatis decidi debeat.
- 11 Declaratur conclusio, quod causa tractanda est, ubi est major pars bonorum.

D I S C. LXXXVII.

Marius Antoninus, variorum resolutioem auctor, de iuris scriptis germanum fratrem, in cuius aliorumque fratrum, vel agnatorum descendencia masculina perpetuum fideicommissum ordinavit, cum seipsum, ac enixè expresso desiderio conservacionis bonorum in eius agnatione & familia, qua in totum defunctus, substituit Conventum PP. S. Dominici ejusdem Civitatis, iuxta magis distinctam facti seriem forte habitam in hac eadem causa occasione purificationis fideicommissi in sua materia sub tit. de fideicommissis. Cum autem juxta frequentiore experientiam, cum qua Deus ostendere videtur punitionem huiusmodi ambitiose sollicitudine reddendi perpetua ea quae in hoc mundo sunt temporalia & peritura. Ad breve tempus univèrsum dicta agnatio, quamvis ex pluribus lineis, seu colonellis constituta defecisset, superfluitibus tantum praefatis, Barbara, & Beatrice ultimi masculi deficientis fororibus, atque super huiusmodi bonis jus habere praetendere Comitissa Antonini primi heredis instituti filia, vel descendens, per dictam ultimum masculum deficientem, vel de eius patrem, ratio-

ne sexus, exclusa; Ista tanquam vidua ex privilegio legis unice. C. quando Imperator &c. elegit forum Auditoris Camerae, coram quo dicto praesupposito introductionis causae ut supra in ipso monitorio specificato, Patres dicti Conventus praetendentes factum esse casum suae vocationis ob defectus omnes lineas masculinas, iudicium instituerunt immixtionis ex remedio, l. fin. Cod. de edit. Div. Adrian. contra praefatas Barbaram & Beatricem, quibus non comparerentibus, in contumaciam, ac iuxta Curiae terminum per contradicendum, postquam tamen Signatura iustitiae mandaverat moderationem inhibitionis per dictam Comitissam in vim electionis fori ut supra obtentae cum remissione causae ad partes, sententiam obtinuerunt super dicta immixtione, atque elapso termino ad appellandum, servatis papiter in contumaciam, & per contradicendum solitis quatuor terminis, obtinuerunt executoriales, quarum vigore ad se profuerunt possessionem nonnullorum locorum montium hereditarium in urbe; Interim vero praefata Barbara & Beatrice coram Gubernatore Montis Alti, vel tanquam heredes ultimi gravati, vel tanquam ad fideicommissum vocatae, utrumque titulum cumulando, obtinuerunt mandatum de immitendo, de facto exequutum in quampluribus praediis & bonis stabilibus in ea provincia existentibus; Cumque dicti Patres in vim dictarum exequutorialium ad ipsi vellent eorundem bonorum possessionem, E converso autem praefatae mulieres peterent ab eodem A. C. exequi mandatum a proprio iudice ut supra obtentum super dictis locis montium in urbe existentibus; Hinc assumpta defuere disputatione in dicto Tribunali, controversia reducebatur ad punctum validitatis, vel invaliditatis gestorum in hoc Tribunali A. C. ad favorem dictorum Patrum, ad effectum inspicendi an ipsi dicendi essent legitimi possessores, & contradicendum, vel potius id converterio, stante huiusmodi gestorum nullitate, possessio habenda esset pro vacua, seu vitiosa, quo casu ipsi dicti non poterant contradicere heredi petenti imitari ad bona possessa per defunctum tempore mortis, cum adhuc effectum requiratur notorius copulativus concursus trium requisitorum, quod scilicet fideicommissum sit omnino clarum, quod nullae competant detractiones, quarum sola possibilitas in proposito sufficit, atque possessio non sit vitiosa, ut frequenter in sua materia sub tit. de fideicommissis. Quorum requisitorum nullum ita verificabatur, quia stante nullitate iudicii, possessio remanebat vitiosa, non constabat de incompetencia detractionum, & quod magis est, dici non poterat clarum esse quod factus esset casus fideicommissi, dum, vel probabilius erat quod dictarum nulliterum de familia existentia talem purificationem impediret, vel saltem id erip. probabiliter dubium ut haberetur in hac eadem causa dicta propra sede sub tit. de fideicommissis.

Nullitas autem dicti iudicii contumacialis absque necessitate assumendi alium altiore punctum de quo infra, de facili convinceretur, ex magis plano motivo deficientis contumaciae, cum ex ipsius monitorii executione constaret, primam citationem, quae est huius iudicii fundamentum, respectu Beatricis non esse personaliter exequutam sed domi, quae non sufficit ad effectum ut procedi possit per contradicendum, cum pro essentiali fundamento requiritur prima citatio personalis inductiva contumaciae verae, vel saltem quod constaret de soluta latitatione, ac affectato impedimento, nō talis citatio personalis exequi valeat, ut per Ubert. de citation. cap. 12. n. 211. Cavalr. dec. 470. num. 2. Greg. & adden. dec. 430. Rot. dec. 3. 4. n. 12. par. 10. rec. & passim. Unde propterea iudicium corruerat etiam respectu corae personaliter citatae, dum agebatur de causa omnino connexa & communi, quo casu nullus respectu unius influit etiam in omnes quemvis citatos, ne unus & idem actus individuus super iure connexo, esset eodem tempore validus, & invalidus, quod implicat, ut dec. 439. num. 4. p. 9. rec. ubi allegatur praecedens decisiō in eadem causa edita, in qua id latius firmatur, dec. 159. n. 14. part. II. Orthob. dec. 170. n. 24. & in aliis.

Item cessabat contumacia ob iustam executionem resultantem a iustè opinata incompetencia A. C. qua posita non intrat contumacia, quoniam citatus coram iudice incompetente comparere non tenetur, & non comparando reputari non potest verus contumax ad text. in l. fin. ff. de iurisd. omn. iudic. Bart. in l. 2. ff. si quis in ius vocatus non ierit, Grammat. concil. civil. 108. n. 3. & voto 27. m. 7. Rovit. prag. 2. ubi de delict. n. 4. Ubert. de citat. c. 9. n. 27. Et idem cum regulariter certa fit incompetencia A. C. in causis primae instantiae extra Curiam, ita ut cessante casu particulari, qui sibi

competentiam tribuat, nulliter procedere dicatur ut decisi. 150. n. 1. p. 4. rec. tom. 2. dec. 49. & 54. apud Polth. de substat. & admittitur decisi. 181. num. 14. par. 10. rec. Hinc proinde ad constituendum in contumacia, talis iudex alius regulariter incompetens, in citatione exprimeret tenetur causam ob quam se competentem credat, ut ita faciendum esse ex notatis per scribentes in cap. 1. de privil. in 6. habetur apud Ubert. d. n. 27. ver. item quando ordinarius, ubi quod cum Ordinarius regulariter cum exemptis competentiam non habeat, eam tamen in plerisque casibus habeat ex collectis per Barbof. de Episcop. alies. 105. & hoc ita sapius, idcirco exprimeret tenetur illam causam particularem, ad effectum ut citatus agnoscendo se parere teneri, pareat, cum alias iustam causam credendi habeat, a contumacia exculsantem, se non teneri; Ad instar eorum quae habemus de citatione delegati non officiente, seu non inducente contumaciam nisi iniuncta delegatione, per quam citatus sciat illum esse competentem, Achil. decisi. 10. de dolo & contum. Gregor. & adden. dec. 127. n. 1. & 9. dec. 353. n. 4. p. 10. rec. & hactenus supr. disc. 48.

Multo magis in hac facti specie, in qua iudex in monitorio specificaverat dictae competentiae causam, iam sublatam per Signaturam, ut supra, unde propterea citatus iustè credidit se non teneri comparere, & consequenter cessabat contumacia, quia sublatam corruerat iudicium per contradicendum, fundatum in contumacia vera, non autem ficta, vel incerta; Ideoque advertebam, quod aliud est deducere nullitatem ratione incompetenciae ac defectus iurisdictionis, Aliud verò ratione cessantis contumaciae, super qua contra non citatum ad tot actus processum fuerat, quoniam praesentia competentia ratione majoris partis bonorum in urbe existentium, ut infra, salvare potuisset primum defectum, non autem secundum.

Ceterum quatenus pertinet ad punctum competentiae, vel incompetenciae huius Tribunalis, non negabant scribentes in contrarium dictam incompetenciam in causis primae instantiae extra Urbem, illam tamen deducebant ratione majoris partis bonorum fideicommissariorum in urbe existentium, dum facta valuatione bonorum huius hereditatis in diversis diocesis existentium, constabat, comparativè ad singulas dioceses, majorem partem consistere in locis montium, quae hodie receptissimum est circumscribi loco Urbis, atque in ea censeri existere quamvis eorum dos esset alibi sita, ut in P. Urbien. de Obisus apud Royas invenit. suat decisi. 66. & in aliis frequenter, ac etiam plenè habetur per Rovit. super prag. in rubr. de iuribus & exalt. Fiscal. Ideoque inferebant hunc esse iudicem competentem ex communi traditione DD. in l. quod legatur, ff. de iudic. per illum text. cum concord. de quibus infra, ut foris competentis restitutio nis fideicommissi, dicatur, tam ille domicilii heredis gravati restitutionem facere debentibus, quam ille in cuius loco major pars bonorum sita est, ut firmatur per Peregrin. de fideic. art. 53. n. 1. Molin. de primogen. l. 2. s. 13. nu. 73. Salgad. in l. ab ipso. p. 1. ca. nu. 27. & ceteri. Atque scribentes deducebant etiam des. Tappia 33. ubi quod hereditas cuiusdam forensis bona possidentis in Civitate, vel Regno Neapolitano, bene in illis Tribunalibus petita fuit ibique consecutum praerambulum.

Cum autem istud assumptum ita simpliciter Mihi omnino improbabile videretur, ob repugnantiam, tam usus communis, quam magis absurdi alios resultantis, quam frequenter videamus plures indutres nationes praeterim Inuentens, modica bona stabilia possidentis in patria ob illius territorii angustiam, multa ex huiusmodi iuribus cum Principe, vel Republica, seu alia bona possidere, ne dum ferè per omnes Italiae Civitates, sed etiam in Hispania, Gallia, Germania, Polonia, aliisque remotis regionibus, ac etiam in magna quantitate in Indijs; Idcirco propterea absolum videretur, quod vivente Testatore in patria, ibique fideicommissum ordinante pro defecendentibus aliisque attingentibus in eadem patria existentibus, posset unus de genere vocato, praetendens factum esse casum suae vocationis, iudicium institueret in Indijs aliisque remotis regionibus, atque ab eo iudice contra heredes gravatos, vel fideicommissarios in patria existentes, sub praetextu quod ibi fit major pars bonorum obtinere, nedum illorum possessionem, sed etiam fideicommissi canonizationem, cuius vigore, cum executorialibus ad ejusdem iudicis requisitionem concedendis, per aliorum locorum iudices, in quibus reliqua bona sita sunt iuxta praxim positam per Bart. in l. fin. C. de edit. Div. Adr. infirmata a Peregr. d. art. 53. n. 1. reliqua omnia bona hereditaria obtineat, quo nil absurdius.

Quare ponderando Doctores per Peregrinum, ac alios allegatos, atque reflectendo ad solam veritatem, advertendam dicitur Doctorem aliquoquin in ea praesertim fideicommissaria materia doctissimum, ex auctoritatibus tamen per eum deductis convinci de aliquo equivoco, quoniam text. in d. l. quod legatur ff. de iudic. & Gloss. ibid. verbo a legatario, quae reputatur magistralis & cum qua pertranseunt Bar. Bald. Angel. Calstr. & omnes, & etiam Cyn. qui eam restituit in l. unica. C. ubi de fideic. agi oportet, percutimus casum legatarii fideicommissarii particularis, petentis legatum ab haerede, ac distinguens, quod aut agitur de legato speciei, aut de illo generis, seu quantitate; Primo enim casu, Aut intentatur iudicium reale ad ipsam speciem, & potest esse competens foris ipsius rei sitae, aut intentatur iudicium, seu actio personalis, & tunc intrat eadem regula cum qua proceditur in secundo casu legati generis, vel in loco sui domicilii, vel in loco ubi est hereditas, & quatenus hujus bona in diversis locis, vel territoris sparsa sint, tunc attenditur locus ubi est major illorum pars, Atque in eisdem terminis loquitur text. in l. si fideic. ff. eod. tit. de iud. & in l. qui ita, & ff. ad Treb. ubi scilicet agitur de legatario, vel fideicommissario particulari pulsante heredem ad legati solutionem, unde propterea omnia ista iura & auctoritates, verè & propriè non percutiunt casum questionis, ubi scilicet praetendens factum esse casum fideicommissi universalis, pulsant heredem gravatum ad restitutionem.

Magis autem ad rem observabam facere tradita per Bar. in d. l. fin. C. de edic. Div. Adr. n. 13. cum quo pertranseunt Dec. ibid. n. 32. & Curt. jun. n. 60. allegati per Peregr. ubi supra, ac alii, ubi agitur, quisnam dicatur iudex competens super immixtione ex remedio dictae legis concedenda, & dicitur quod iudex loci heredis, vel loci bonorum declarat generaliter immixtionem concedendam esse, idemque potest horum alios iudices pro executione respectu bonorum in eorum territoris respectu existentium; Sed praefati Auctores, remanendo in his generalibus non descendunt ad haec specialia, quando scilicet existentibus bonis hereditariis in diversis territoris, quaestio sit inter plures iudices, quisnam dicatur magis competens, coram quo tractanda sit causa universalis, seu articulus principalis, an factus esset necne casus fideicommissi, ita ut ejus iudicatum faciat statum respectu omnium bonorum in quibuscumque locis existentium, cum ibi non examinatur.

Causa igitur praecipua quaestio super restitutione fideicommissi universalis, & an ejus conditio purificata sit necne, decidi videtur in l. i. C. ubi de heredit. agatur, ubi quod hereditatis controversia terminanda est, ubi res hereditariae sunt, vel ubi si convenitur, domicilium habet, certius autem si utrumque insimul concurrat; Licet enim textus loquatur de quaestione hereditatis, & sic inter primos haeredes, rectè tamen congruit istis terminis fideicommissi universalis, eodem jure censendis, juxta magis communem & hodiè receptissimam opinionem, ut quae disponuntur in l. fin. C. de edic. Div. Adr. quamvis in littera percutiant primum heredem, attamen fideicommissum universali quoque competat, ut frequenter in sua materia, & est principum hodiè absolutum.

Verum neque per dictum textum tollitur difficultas, quoniam generaliter dicitur ubi res sitae sunt, sed non descendit ad speciem, quando illae in diversis territoris sparsae forent, qualis scilicet ex pluribus dicitur magis competens.

Est bene verum, quod pro hujus textus intelligentia, dicitur quae quaestio determinationis, rectè argumentum defumitur ex dictis iuribus in l. quod legatur, & l. si fideicommissi ff. de iudic. & l. qui ita, & ff. ad Treb. cum ibi not. per Gloss. Bar. & alios ubi supra, ut scilicet hereditas esse dicatur, ubi est major ejus pars, ex regula actionis faciendae praedominante, & quasi quod illa major pars attrahat ad se minorem.

Sed quia capiendū ita simpliciter hoc assumptum, resularet magnum absurdum supra insinuatum, ipsi naturali discussu & communi usui repugnans, idcirco dicebam, illud non ad litteram, & iudiciale intelligendum esse, procedendo solum numericè, atque cum regulis arithmetice inspicendo quanam sit major pars bonorum, sed intelligendum esse formaliter, ac juxta subiectam materiam, eo modo quo optime advertit Molina ubi supra, num. 74. & ex eo, ac Ripoll. & alii Salgad. in labyrinth. d. p. 1. cap. 4. §. 1. nu. 27. ubi etiam allegat e ipsum jus tract. de revent. bullarum, ut scilicet intelligatur, ubi est caput hereditatis, id est ubi dici valeat representari personam defuncti, & corpus intelles-

tuale hereditatis, quod attrahat ad se reliqua membra, seu partes, & quod propriè verificabile videtur respectu privatorum, in loco ubi Testator vivebat, ibidem quomodo habitatoris habebat, necnon domum, & vineam, aliaque praedia, & bona stabilia regulariter constituta assis.

Hujusmodi autem loca montium, seu jura, quae in aliis partibus possidentur, utpotè stabilia portus facta, & intellectualia, quum vera, & realia, in aliis locis acquiri dicuntur; non ut domus, seu assis hereditarius ibi constituantur, sed tanquam species peculii praefidii causa, seu tanquam quid accessorium, Ideoque non videtur, quod ex sola numerica hujusmodi jura quantitate, ipsum corpus hereditarium, reliquorum bonorum attractivum regulari debeat. Praesertim ubi insimul concurrunt quod in eodem loco, ubi fideicommissum ordinatum est, ac testator vivebat, & obiit, adfuit ea bona stabilia, quae principaliter assens alicujus constituitur dicuntur, ac etiam, tam haeres gravatus, quam substitutus habent domicilium, licet respectu majorum completentium Castra & Status, ut est in Hispania; caput dicatur ille locus, à quo reliquus Status nomen accipit.

Et quoad decisionem Tapiae 33. illius casus adhuc erit à controverfio extraneus, quum ibi agatur de primo haerede petente immitti per iudicem ad bona hereditaria nemine citato cum consueta clausula, dummodo possessio sit vacans, ac citra praesidium habentium meliora & potiora iura &c. quod iudicium dicitur voluntarie jurisdictionis magis quam contentiofæ, ut advertitur per Hodiern. ad Surd. dec. 26. n. 14. & seg. atque haeres neminem citare cogitur, neque habere legitimum contradicentem, unde oppositores dicuntur contradicentes voluntarii non habentes fori proprii declinatoriam, & sic longe diversa est ratio.

TUSCULANA REMISSIONIS CAUSE

PRO PRINCIPIS BURGHEIO

SEU EJUS OFFICIALIBUS CURIAE

MONTIS COMPATRUM,

CUM PETRO PAULO MASSETA, ET PROCURATORE FISCALI GENERALI URBS.

Causa disputata in S. Consulta, & resoluta in infra.

An condemnatus in contumaciam per Curiam Baronis, qui juxta Constitutiones Pii IV. & Pii V. audiri potest, atque ad defensiones admitti, dummodo spontè se constituat in carceribus illius iudicis qui eum condemnavit. Possit se constitutum in Curia Principis, & sic in carceribus Gubernatoris Urbis; Et quatenus in istis se constituat, An sit remittendus ad Curiam Baronis, qui illum condemnavit.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 De antiquo stylo Curiae Romanae non remittendi causas iudicibus inferioribus, & n. 9. ubi declaratur.
- 3 Quod per Curiam Gubernatoris causae remitti debeant Baronibus, & n. 7.
- 4 Doctrinis punctualibus est deserendum.
- 5 An condemnatus in contumaciam debet admitti ad defensiones.
- 6 In casu quo dicitur stylus admitti possit, coram quo iudice id fieri debeat.
- 7 Declaratur conclusio, de qua n. 3.
- 8 De differentia inter iudices inferiores de Praefidatu, & subordinatos Praefidat, & Baronis, seu eorum officiales.
- 9 Declaratur conclusio, de qua n. 2.
- 10 De prudenti controverfiae determinatione.

D I S C. LXXXVIII.

Cum ex Constitutionibus Pii IV. & Pii V. condemnati in contumaciam admitti valeant ad defensiones, etiam post condemnationem, dummodo spontè se in carceribus constituant, atque dicitur Massetta condemnatus in contumaciam per Curiam Baronem Montis Compatrium, quod est Castrum Principis Burglesii, volens dicitur Constitutionum beneficio potiri, se constituisse in carceribus Gubernatoris Urbis; Hinc Officiales dictae Curiae adierunt S. Consultam,

sultam, petendo dictum carceratum, tanquam subditum atque ab eis condemnatum sibi remitti, cui petitioni se opponentibus ipsomet principali, ac Procuratore Fiscali generali, assumpta desuper disputatione;

2 Duo erant praecipua opponentium fundamenta pro remissione deneganda, unum nempe ex stylo, seu consuetudine Curiae Romanae, nunquam remittendi causas iudicibus inferioribus, quam consuetudinem dicebant antiquissimam, cum de illa testetur Oldrad. conf. 124. num. fin. &c. Alterum quod eadem Constitutiones loquuntur alternativè, de se constitutum in carceribus, vel ipsius iudicis condemnantis, vel Praefidis Provinciae, seu Magistratus superioris, unde propterea supponunt etiam hujusmodi praesentationem se qui posse in Curia superiori, qualis in districtu est illa Gubernatoris, quae respectu Baronum aliorumque inferiorum Magistratum curiam Praefidis constituitur videtur.

3 Contrarium tamen verius dicebatur, scribens pro Burghesio, ejusque Curia magis ad tuendam jurisdictionem in genere, tollendaque praesudicia in futurum, quam utrocerum reo, cuius intercessorem & Advocatum apud eundem Principem juxta styllum classico auctoritate & ratione, magis profitebar, idque probabam doctrina Spadae conf. 1. lib. 2. n. 69. ubi ponendo caesum in individuo, illum dedidit pro Curia Baronis, quoniam in isto iusto suspitionis causa non intercedit, idque defendendum dicebam huiusmodi actuali auctoritati, quae non habens contradicentem pro casu legis habenda est, Martia tot. 6. n. 7. Franch. dec. 363. n. 4. Rot. dec. 122. in fin. p. 5. rec. Addec. ad dec. 20. nu. 42. p. 3. rec. Fortius verò cum agatur de auctoritate probati Doctoris loquentis ad veritatem, & qui non solum fuit veratissimus, ac primarius in omnibus casibus Curiae, fed etiam longo tempore Cameræ, & Filii Advocatus, has materias bene expertus, atque jura Curiae Gubernatoris potius defensus.

Sed ultra auctoritatem, per rationes quoque, ac principia idem verius dicebam; Disputant etenim DD. an condemnatus in contumaciam admitti debeat ad defensiones, seu ad probandum contrarium ejus quod praesumptivè ratione contumaciae probatum dicitur, Aliis affirmativam, aliis verò negativam tenentibus, ut liquet ex deductis hinc inde per Far. in praxi q. 11. n. 6. cum l. 1. atque per tenentes negativam non descenditur ad hos terminos utpotè extraneos, quia negata substantia admissio ad defensiones, frustra quaeritur de iudice coram quo illa fieri debeant, vel possint.

6 Per tenentes autem affirmativam, pro absoluto supponitur, id fieri debere coram eodem iudice qui condemnavit, ut per Farinac. d. l. 2. q. 11. n. 6. in princ. & alibi, ex ea ratione, quia hujusmodi opinio retenta, sententia contumacialis est praesumptivè & privilegialis probationibus lata, non transit in iudicatum, idcirco non consumit instantiam, quae coram uno iudice jam cepta, coram eodem debet terminari ad text. in l. ubi de capum, de iudicis. Atque absolute videtur, ut cessante casu appellationis, & sic diversè instantiae, debeat in una eademque instantia diversus iudex se ingerere in causa, & retrahere id quod alter diversifoni fecit. Unde cum ex constitutionibus Pii IV. & Pii V. quando contrumax spontè se constituit in carceribus admittatur ad defensiones, videtur ita canonizari supradicta opinio affirmativa; sequitur etenim juxta ejusdem opinionis sequacium communem traditionem, id non alibi faciendum esse quam coram eodem iudice condemnante, ad quem, seu ad ejus in officio successorem illa instantia durante spectare debet deviribus propriae sententiae contumacialis cognoscere, Excepto solum casu, in quo concurrat legitima suspicio in ipso Barone, seu Domino jurisdictionis, cum tunc illa insuat in omnes ejus officiales, idcirco iudex superior per viam recursus, stante defectu legitimi iudicis, istius partis in illa eadem instantia legitime dicitur, ut bene adnotet Spada ubi supra.

8 Idque fortius ubi non agitur de iudicibus, vel Magistratibus inferioribus habentibus jurisdictionem in simplicem administrationem subordinatam Praefidi, seu alteri superiori Magistratui, ut sunt, exempli gratia, Gubernatores locales sub Praefidatu Umbriae, Marchiae, vel Patrimonii &c. cum tunc eadem videatur instantia, idemque iudex superior reasumens id quod ejus inferior & subordinatus minister fecit; Secus autem ubi agitur de officiali Baronis, seu Domiicelli, qui habere dicitur jurisdictionem in dominio ac privatè ad Principem in una, vel pluribus instantiis sibi concessis, ut ceteris allegatis Theaur. dec. 366. n. 4. bene Marin. resol. 24. nu. 2. lib. 1. ubi & num. seg. & per tot. firmat in fortioribus terminis, Vassallum Baronis etiam condemnatum in contumaciam per Curiam majorem Principis, qualis in Regno est

M. C. Vicariae, remittendum esset ad Baronem illum petentem. Atque ita distinguendo inter habentem jurisdictionem in simplicem administrationem, vel in dominio, bene respondet Spada loco cit. ad objectum supra excitarum, ex eisdem Constitutionibus deductum, ac responso videtur solida beneque fundata.

Alterum verò objectum deductum ex consuetudine Curiae Romanae, non remittendi causas iudicibus & magistratibus inferioribus, ex Oldrad. conf. 224. in fin. procedere dicebamus, quando Curia superior re integra causa cognitionem assumpsit, quia nempe, vel per apprehensionem in Curia, vel etiam ipso reo se constituyente, antequam ab alio iudice sequeretur condemnatio, Curia superior causa cognitionem coeperit, inferior verò tanquam competens ratione originis, vel domicilii, seu loci delicti, petat causam sibi remitti. Prout regulariter remittenda est, & passim servatur in Regno per M. C. Vicariae & Regias audientias remittentes causas Vassallorum quantumvis ceptas Baronibus, eorumque officialibus; Secus autem ubi causa iam cognita, & terminata fuit per iudicem inferiorem, cum tunc non sit praevenerit, neque causam ex integro cognoscere, sed agere de constituenda, vel infirmanda sententia lata, quod per iudicem diversè instantiae fieri non potest neque debet nisi in gradu appellationis, vel recursus.

Atque si à Doctorem dicto arguere licet, id clarè probari observabam, ex eo quod Spada loco cit. agens ex profecto de puncto pro veritate, more Tractatistae potius quam Constitutionis, non excitaverit hoc motivum, ejus ignorantia nullatenus praesumi potest in eo, qui diu fuerat in Curia Fiscali & Camerae Advocatus; Item evidens quod dicta consuetudo intelligenda sit re integra, & antequam ab alio iudice sententiam esset, idcirco casus dicitur mixtus & extra consuetudinem.

Dum Card. & Praelati S. Consulta informarentur, omnes uno ore ex motivo dictae observantiae dicebant, hanc petitionem rejiciendam fore, sed his visis, in contraria fuerunt sententia pro remissione, id est abstensione à cognitione causa; Sed quia reus sub hac fiducia spontè se constituerat, idcirco ne à publica fide ita deceptus remaneret, alias forte in Curia Baronis se non constitutum, resolutum fuit, quod in ejus praesentia libertate reponeretur, ac si non se constituisset, quod mihi rationabile videbatur; ad effectum tamen exequendi dictam repositionem, mandatum fuit exhiberi processum, ut inspiceretur quomodo processum esset, & an cõstaret ex eodem processu de gravamine & animositate per reum praesupposita.

ANNOT. AD DISC. LXXXVIII.

Super contentis in hoc discussu, an scilicet condemnatus in Curia Baronali, audiri valeat in Curia Gubernatoris, vel Auditoris Camerae, desuit ulterior occasio disputandi, uti potè in materia extra propriae sphaeram, & exercitium.

ROMANA PECUNIARIA
SEU PRÆTENSÆ DECLINATIONIS FORI
PRO CARDINALI URSINO
CUM ZONGO HONDEDEO EPISCOPO
FORO JULIENSI.

Causa disputata in Signatura iustitiae, & resoluta pro Cardinali.

Ad materiam textus in l. Roma, ff. ad municipalem, quando scilicet exteri apprehensi in Curia, cuius forus alias esset incompetens, possint ibi conveniri.

De Concordatis Galliae de non trahendis illis Episcopis, Praelatis, aliisque Ecclesiasticis ad Curiam quomodo intelligenda sint; Ac etiam de privilegio concessio Episcopis venientibus ad visitanda Limina, ut non possint hoc tempore conveniri & molestari, quomodo hoc pariter intelligatur.

S U M M A R I U M.

- 1 Causa controversa.
- 2 De conclusione, quod Roma est communis patria, & quando quis apprehensus possit in Curia.
- 3 Consideratur Roma tanquam Curia Papae, in qua Ecclesiastici totius Orbis conveniri possunt.
- 4 De concordatis Galliae.
- 5 Episcopi venientes ad limina, non possunt molestari, vel conveniri.
- 6 Declaratur, quando procedant concordata.

- 7 *Domicilium causarum, seu occasione non dat, neque tollit civilitatem.*
- 8 *De conclusionibus, de qua num. 5. & quare illa non fuerit attentata.*

D I S C. LXXXIX.

Praetendente à pluribus annis Cardinali Urfino conseqni debere aliquas pecuniarum summas à Zongo Hondedeo Pifaurensi, qui alias Curialis, & Curiae Capitolinae primus Collateralis, deinde Cardinalis Mazzarini rerum Italicarum à Secretis, Ecclesiam Forojuliensem adeptus est; Cum hic de anno 1668. urbem ad visitanda Limina Apostolorum accessisset, Cardinalis praedictus illum tanquam in Curia apprehensum convenit in Tribunali Auditoris Camerae, quo per reum conventum declinatur, petentem remitti causam ad partes; Hinc assumpta desuper disputatione in Signatura Iustitiae, scribentes pro reo convento declinante, super intellectu textus in *l. Roma, ff. ad municipalem*, an scilicet etiam hodie procedat propositio, quod Roma communis patria est, vel id cessaverit postquam per *Constantinum* translatum fuit imperium ad Orientem, & collocata Sedes in Byzantio, alias Constantinopolitana Civitate, totum desumendo ab his quae pro utraque opinione deducuntur per Petr. Barbofin *l. 2. §. legatis, ff. de iudicis*, & Farinae *de inquisit. q. 7. m. 12.* ubi occasione casus ibi enarrati, plenè articulus examinatur, ac referuntur DD. hinc inde, dicebant ex magis communi verius esse dictam propositionem hodie non procedere extra subditos Principatus, seu temporalis ditionis Ecclesiae, cuius tantum in temporalibus Roma est caput & Metropolis, atque hanc opinionem dicebant pluries receptam esse per Signaturam, praesertim in *una Romana, seu Neapolitana* ad favorem D. Margaritae Branciforte de Austria Principissae Bucerae, de cuius persona, & statu habetur actum *sub tit. de feudis, in Panormitana, disc. 13.* quoniam cum occasione anni Iubilaei accessisset ad urbem, atque adhuc indeterminata esset in ea domicilia contrahere, ut deinde sequutum fuit, per quosdam mercatores Neapolitanos, vel Siculos praetentos ejus domus creditores, tanquam apprehensa in Curia, converta fuit coram A. C. sed per Signaturam, praevia bina acerrima disputatione, causa remissa fuit ad partes, atque ita in pluribus aliis casibus resolutum in causis profanis, & cum personis saecularibus ratione originis, vel domicilii, temporali dominio Papae & Ecclesiae non subiectis.

Adversus hoc fundamentum respondebat pro parte actoris Causae Patronus, qui licet scribens in facto, atamen iuxta viam Romanae Curiae, erat etiam doctus iurista, praemissa procedere, considerando Romam tanquam caput antiqui Imperii temporalis, in quibus terminis procedit textus in *d. l. Roma*, & alter textus in *l. prima, C. de veteri iure enucleando*, secus autem considerando eandem tanquam Curiam & residentiam Papae Episcopi Ecclesiae universalis, & in spiritualibus Domini totius Orbis, quoniam tunc eadem ratio, quae antiquitus ex dictis iuribus intrabat quoad personas & causas profanas, intrat respectu personarum, vel causarum ecclesiasticarum, dum omnes personae ecclesiasticae totius urbis Papae subsistant ad textum *c. finali, de foro competentis*, ubi Felinus *num. 25.* Barbofin *num. 3.* Mandos *ad regul. & Cancellariae, num. 3.* plenè Petr. Barbofin *in d. l. 2. §. legatis, num. 33.* & *36. de iudicis*, Unde propterea cum reus conventus esset Episcopus, & consequenter persona ecclesiastica Papae subdita, rectè in Curia ipsius Papae apprehensus conveniri poterit.

Ita responsio, alia solida, & iuridica, in hac facti specie partium ita remanebat ex duplici replicatione. Primo ex concordata Acta inter Leonem X. & Franciscum Primum initis ad effectum removendi pragmaticam sanctionem, registratis apud Rebus *de ipsis concordatis post prax. benef. in meis magnis, fol. 499. & seqq.* & de quibus habetur particulariter actum in *Vassone. Prioratus sub ritu. de Beneficiis*, per quae disponitur, Episcopus, Praelatos, aliosque Ecclesiasticos Galliae pro quibuscumque eorum causis non posse ad Curiam trahi, neque extra dicti Regni lates evocari. Et secundo quia cum dictus Episcopus accessisset ad Urbem occasione visitandi Limina Apostolorum, non poterat ibi conveniri, sed habebat jus redeundi domum, ut clare disponitur in eodem *cap. fin. de foro competentis*.

Quare Ego scribens pro eodem actore, inherendo circa dictam regulam generalem desumptam ex *d. l. Roma*, iis quae supra per Causae Patronum deducebantur, principaliter autem ac stricte insistendo super dictis obiectis, ad quae restringebatur cardo difficultatis, quatenus pertinet ad primum Concordatorum, fugiendo ex prudentialibus motivis inspectionem super eorum intelligentia, seu interpretatione,

dum causae necessitas non exigebat, dicebam etiam cum sensu veritatis, qualem quoque habuit Signatura, ita resolvendo, hujusmodi inspectionem intrare, quando ageretur de conveniendo dictum Episcopum tanquam Episcopum, si ve ubi idem naturaliter, & tanquam saecularis non esset subditus Papae, & Curiae Romanae in temporalibus, sed praetenderetur eum tanquam Praelatum, & personam ecclesiasticam posse ex hoc in Curia apprehendi, ut supra; Sed utraque difficultas cessabat ex facto, dum praefatus reus conventus, naturaliter, tam ratione originis, quam domicilii, erat Papae & Romanae Curiae subditus in temporalibus, impositus in Civitate Pifaurensi patria etiam originaria sui patris, & majorum, quae post devolutionem Status Urbini est de Statu Ecclesiastico immediati, atque toto tempore ejus vitae, excepta dicta accidentaliter, vel occasionali absentia, pro servitio Cardinalis Mazzarini, & successively pro residentia in Ecclesia, domicilium habuerat, vel in patria, vel in urbe. Causa vero, pro qua conveniebatur, erat merè personalis, & privata, nullam habens connexionem cum Ecclesia, seu Episcopatu, ideoque nullatenus intrabant Concordata, super quorum praxi & intelligentia integrum locum relinquebam veritati, quoniam, ut dicebam scribendo in causa, Cardinalis actor non conveniebat Episcopum Forojuliensem, neque Praelatum Gallum, sed Zongum Hondedeum Pifaurensis, Ecclesiae & Romanae Curiae Vassallum, ac subditem etiam in temporalibus.

Et quamvis replicaretur, quod per desertionem illius domicilii, novumque longum domicilium contractum in Gallia, ita desierit esse civis Pifaurensis, seu de Statu Ecclesiastico, atamen levis erat responsio, nullam revera habens substantiam, quoniam ex his, quae in hac materia civilitatis habentur acta hoc eodem libro, *sub tit. de praeminent. in Forosemyronic. seu Foro Pompili* & in aliis, ac etiam *sub tit. de Regularibus* ad materiam vegetigalium, in *Anconitana onerum*, incolatus, vel respectu absentia causativa, seu occasionalis ratione officii, militiae, mercaturae, vel alterius muneris, non inducit civilitatem loci residentiae, neque causat amissionem propriae ac naturalis civilitatis loci, à quo ita accidentaliter abesse contingat, & hic erat casus, dum reus conventus ibi relederat dicta occasione muneris Secretarii apud dictum Cardinalem Mazzarinum Regis Galliae primum ministrum, & successively occasione residentiae in Episcopatu, adhuc tamen animo retinebat naturalem ac originariam civilitatem in patria, in qua nedomum apertam tenebat, sed ultra retentionem antiquorum bonorum patrimonialium, multa alia, ut supponebatur, quaerit ex divitiis per eum parvis.

Dando in hoc praedictum exemplum actuale Principum Romanorum, quae de recenti fuerunt notabiles tempore extra Statum Ecclesiasticum in servitio Regis Catholici, Principis scilicet Ludovici in gubernio prius Regni Aragoniae, & deinde Regni Sardiniae, ac Sermonetae Ducis Caetani in gubernio prius Status Mediolani, & deinde Regni Siciliae ultra, quoniam si isti dictis numeris adhuc respectively durantes, & reventis, accessissent ad tempus ad urbem animo redeundi, non per hoc dici poterat, quod ratione eorum originis & domicilii non essent subditi Romanae Curiae, ibique pro eorum privatis personalibus causis conveniri non possent, quoniam ex his, quae habentur in *Rom. seu Massanen. affictuum, hoc eod. tit. disc. seq.* in hac materia spectatur causa, pro qua quis convenitur, considerando in eadem persona materiali reduplicatorem, seu multiplicatorem personarum formalium diversis respectibus exhibitis deductis.

Majorem difficultatem mihi inferere alterum motum affeccionis, quae ne Episcopi retraheretur à visitandis personaliter liminibus Apostolorum, eis traditur à quibuscumque mollissimis & vexationibus, dum in Urbe dicta occasione moram trahunt, quae ratio indefinite percutere videtur omnes causas, etiam privatas & personales, dum idem resultat effectus, atque pro meo fuit motivum fuisse solidum, nisi urgeret alia major ratio, quae procedentem suffocare debebat, quod scilicet alias quaestio iudicis & fori causasset in actore irreparabile praedictum circa negotium principale, dum alias ex dictis circumstantiis, non de facili saltem de facto, ejus actiones experiri poterat in loco, ad quem petebatur remissio; Et converso utem rei conventi naturaliter subditi hujus Principatus, ac habentis bona & attinentes in eo, nil intererat causam, in Curia cognosci, dum congruus habebat defensores, neque iuxta notitiam Curiae usum, quod cuiuscumque aequa lance iustitia ministratur, oppressorem, vel potentiam timere poterat, ideoque tunc tenenda est via, per quam utrique sit aequè consultum,

ex axiomate, ut motivo non nocet, & alteri prodest &c. Ideoque ex hoc quod uno, reflectendo etiam ad veritatem, iusta, & probabilis mihi visa fuit Signaturae resolutio, super petita remissionis denegatione. Possibile quae prima citatio solum cum eo facta erat ad effectum prosecutionis iudicii, cuius executio abique aliqua molestia in persona seque poterat in bonis existentibus in ejus patria & Statu Ecclesiastico.

S U M M A R I U M.

- 1 *An Roma sit forus competens omnium, & de pluralitate personarum formalium in una materiali, ad disc. 89. & 90.*
- 2 *De concordatis Galliae in materia beneficiorum, ad eundem, disc. 89.*

ANNOT. AD DISC. LXXXIX. & XC.

Pariter ad hanc materiam text. in *l. si Roma*, non dedit occasio alias disputare, atque de hac pluralitate personarum formalium in una materiali agitur sub pluribus materiis, & praesertim *sub tit. de praeminent. disc. 1. & seq. & disc. 29. & tit. de Regular. disc. 32. & in Relat. Curiae, disc. 2. & tit. de feud. disc. 61. & saepius.*

Et de concordatis Galliae in materia beneficiorum agitur *sub tit. benefic. disc. 27.*

MASSANEN. PENSIONUM

SEU AFFICTUUM

PRO PRINCIPE LUDOVICO

CUM MARCHIONE DE MONTEALTO.

Causa disputata in Signatura Iustitiae, & resoluta pro Ludovico.

An possidens feuda, vel dominia in diversis Principatibus, vel ditionibus, possit ratione domicilii, quod habet in urbe, sive ob personalem ejus apprehensionem, in eadem Curia ibi conveniri, pro causis & negotiis spectantibus ad dicta diversa dominia in diversis Principatibus existentia; Et de propositione, quod *Roma est communis patria*, quando procedat.

S U M M A R I U M.

- 1 *Falsi ferries.*
- 2 *De propositione, quod Roma est communis patria.*
- 3 *In pagano, seu viro privato non datur duplex patrimonium, vel duplex hereditas.*
- 4 *Feudatarius dicitur duplex homo, duplex habens patrimonium.*
- 5 *Possidens plura dominia, vel feuda in diversis Principatibus, vel ditionibus, non potest pro negotiis unius conveniri loco alterius, quia tot consensit personae, quot sunt principatus.*

D I S C. XC.

Ob praetensas pensiones Silvarum existentium in castris *Vallis, & Montonis*, quas fratres de Appianis ditionum castrorum possiderent, de anno 1664. locaverant ministris Principis Ludovici in Statu Plumbini pro servitio illorum adificiorum ferri, Marchio de Montealto eorum heres de anno 1664. circiter conventi dictum Principem personalem in Curia apprehensum coram A. C. eoque tale forum declinante, atque instante causam remitti ad partes, introducta desuper fuit disputatio in Signatura Iustitiae, quae iuxta petita rescriptum in duplici disputatione desuper habita, in quarum prima solis causarum patronis hinc inde scribentibus, satis superficialiter processum fuit, cum solita propositione deducta ex Sac. Conc. *Trid. sess. 24. de reform. cap. 20.* de causis in prima instantia coram locorum Ordinariis tractandi, & cum altera propositione, quod in causis extra Curiam, quoniam non agitur de executione obligationis cameralis, A. C. non est iudex competens in prima instantia, ut *dec. 150. in principio, p. 4. rec. tom. 2. & saepius.*

Formalis igitur disputatio fuit secunda cum Advocatis hinc inde, & principaliter super motivo deducto ex textu in *l. Roma, ff. ad municipalem*, quod scilicet Rota communis patria est, de quo *Jal. in l. qui Rome, num. 22. ff. de verb. oblig. Barbofin. in l. 2. ff. de iudic. & ceteri apud Farin. quest. 7. n. 12.* ideoque stante apprehensione debitoris in Curia, dice-

bant scribentes pro actore, quod saltem ex dicta ratione hic forus erat competens, etiam si reus conventus esset merè forensis. Multo magis dum erat etiam subditus ratione originis, & domicilii, tanquam Baro, & Domicellus Romanus, domicilium habens in Urbe à quo saltem accidentaliter occasione gubernii Regni Aragoniae, vel similibus abesse consueverat.

Scribens pro Ludovico, cum sensu etiam veritatis, dicebam nulla fuisse necessitatem adsumendi altiore, magisque involutam materiam *disti. rest. in l. Roma*, stante dicta utraque subiectione originis, & domicilii, quae controversi non poterat; Atque ubi ageretur de homine privato unicum patrimonium paganicum, seu allodialè locum possidente, Egomet admittebam nil suffragari, an debitum intra, vel extra Statum Ecclesiasticum, sive in una, vel altera provincia, seu ditione contractum esset, quoniam in pagano non datur duplicitas, seu diversitas patrimoniorum, neque diversitas hereditatum, nisi ubi potentia statuti ad certos effectus successiones, vel similes aliter disponat ad *lex. in leg. Juris peritos, §. cum oriandus, ff. de excus. tutor. cum concord. per Salgad. in labyrint. part. 1. cap. 9. num. 48. & seq. p. 2. c. 12. num. 68. & seq. Rota, dec. 238. num. 34. & seq. & dec. 131. n. 24. & seq. p. 9. rec. unde propterea inani labore torquebantur scribentes in contrarium, cum copiosis allegationibus super his insistentes.*

Punctum autem consistere dicebam in eo, quod agebatur de Barone, seu feudatario, plura feuda, seu dominia, ex diversis investituris, seu titulis, in diversis Principatibus, seu ditionibus possidente, in Statu scilicet Ecclesiastico Ducatus Zagorae & Piani, in allodium magis quam in feudum, in Regno Neapolitano Principatum Venusinum, Comitatum Conzanum, & alia dominia in feudum, ac etiam dictum alterum feudum Imperiale Status Plumbini in Etruria.

Quemadmodum igitur, ex his, quae habentur in *Romana contributionis, de Columna istius materia sub tit. de feudis, disc. 22.* etiam feudatarius quidem Principatus, seu ditionis, reputatur duplex homo, duplex patrimonium, seu duplicem haereditatem habens omnino diversam, feudale scilicet & allodialè, seu militare & paganicum, iuxta eam duplici patrimonii distinctionem, quam in iure communi, in militibus habemus, cum feudatarii milites deantur; Ita fortius, Principes, vel inferiores Domini possidentes plures Principatus, vel respective plura feuda, seu dominia in diversis Provinciis, seu ditionibus, & ex diversis titulis, seu fontibus, plures dicuntur repraesentare personas omnino, diversas, diversaeque habere patrimonia Universalitatem constituentia, nullamque connexionem inter habentia, ita ut inter ea, non obstante unitate personae unius possidentis, recte detur actio & passio, seu alter incomparabilem concussus, quia tot finguntur personae formales, quot sunt dominia, ob illam intellectuale plurium personarum formalium divisionem, quae in una, eademque persona materiali in iure passim datur, ex deductis in proposito ejusdem possessoris plurium majoratum per Salgad. *loc. cit. & in Romana contributionis de Cestis sub dicto tit. de feudis ad Bullam Baronum, d. 89. & frequenter infra sub tit. de praeminent. in proposito ejusdem Episcopi possidentis plures Episcopatus, vel infimum aequè principaliter percepto unitos, ut frequens usus est in Italia, vel accidentaliter & ad tempus ex dispensatione Apostolica, ut frequenter in Germania; Et magis proxime ad rem quoad dominia temporalia habetur eodem *tit. de praeminentiis in Pamplonem decimarum disc. 39.* Quodlibet enim dominium, seu quilibet Principatus aut Episcopatus constituit universalitatem stantem de per se independentem ab altera, & consequenter plurimum possessor pro rebus ad unam spectantibus non dicitur subditus illius Principis, vel fori, ejus est subditus ratione alterius dominii, seu Principatus, ita eodem communi praxi & observantia, nedum iuridica, sed etiam humana ob impracticabilitatem, quoniam magnum inconveniens omnino impracticabile esset, ut ex gr. Magnus Comesstabilis Columna, qui est originarius & domiciliarius urbis, plura possidet castra & dominia in temporalibus ditione Ecclesiae, necnon in Regno Neapolitano, ac etiam in altero Siciliae citra, & alibi, pro singulorum dominiorum, & patrimoniorum hujusmodi negotiis activis, & passivis, quae in singulis respective per illos ararios, Gubernatores, & ministros geruntur, possit in urbe tanquam ejus domiciliarius, esse in Curia apprehensus conveniri cum similibus, quod utriusque effectum absurdum.*

Et quamvis ex parte actoris nimium inculcaretur, quod ita esset amittere creditum suaque actione, ex quo non habet

beret, qui iustitiam administraret, dum idem debitor in eaditione est Princeps. Nihilominus parum probabilis & forte temeraria appositio erat, quoniam in quibuscumque Principibus superiorum non recognoscuntur, iura activa, & passiva cum privatis habentibus, eadem intraret ratio, omnino tamen neglecta, dum ab ipsismet deputantur Officiales, Iudices, & Magistratus iustitiam in causa proprii Fiscii ministrantes &c.

ROMANA REVISIONIS RATIONUM CUM MONASTERIO A. CUM B.

Casus disputatus in Signatura Gratie, sed concordatus.

An Constitutio 74. Sixti V. per quam disponitur causas Regularium summarie cognoscendas esse in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis prapollita, procedat in causis verentibus inter ipsam Religionem, seu Monasterium, & illum, qui alias Religiosus, per annulationem professionis, seu ex alio titulo effectus est secularis.

SUMMARIUM.

- 1 Casus controversus.
2 De constitutione Sixti V. super erectione Congregationis Regularium.
3 De iure causa Regularium sunt cognoscenda summarie, & sine tela iudici.
4 Neque cognoscenda sunt extra ordinem, & qui dicantur in proposito Superioris ordinis.
5 Dicitur Constitutio non procedit in causis cum secularibus.
6 De ratione ob quam Religiosus effectus secularis non venit sub dicta dispositione.
7 Gratia appellatio remota regulariter non concedenda sine iusta causa, & que sint.
8 S. Congregationes procedunt extra iudicium & appellatio remota.
9 Non procedunt in causis requirentibus formalem processum.

DISC. XCI.

Quodam Religioso expressis processu, bona Monasterii plerumque annorum spatio administrante, crediderunt eisdem Monasterii Superiores aliquos defectus in dicta administratione adesse, unde propter ea illa interdita, nonnulla bona dicti Religiosi pro reintegracione sequestrarunt, & acceptarunt, quare ipse aliquoties profusus, post aliquod tempus, quadam iure professionis nullitate allegata, obtinuit illam per Vicarium, ac Superiorem localem iuxta formam a S. Concilio Tridentino prescriptam canonizari per sententiam diffinitivam, cuius vigore ad statum secularem rediit, in quo statu volens bona predicta recuperare, utpote non intuitu Religionis, vel status religiosi quaesita, sed aliunde obventa, necnon dictae iure administrationis rationes reddere, & causam introduxit in Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium negotiis prapollita; Quia vero ex aliquibus prudentialibus motivis Monasterio non expediebat causam predictam, ita summarie, ac in forma extrajudiciali in dicta Sacra Congregatione cognosci, sed eam remitti ad Rotam, vel alios iudices ordinarios, cum processu, & ordine iudiciali per trames iuris cognoscendam, huic autem petitioni altera parte se opponente, S. Congregatio non annuere. Hinc proinde habito recursum ad Sanctissimum, ac remisso negotio ad Signaturam Gratie punctus alteriorem dispositionis progressum non habuit ob subsequutam concordiam.

In huius autem dispositionis preparatione, ac etiam occasione dicitur cursum ad Sanctissimum, scribens pro Monasterio, etiam cum sensu veritatis, dicebam probabiliter beneque fundatam esse huius partis petitionem; Licet enim per Constitutionem 74. Sixti V. prudentem, ac pie disponitur in erectione undecim Congregationis Regularium, incongruum esse, Religiosorum controversias in foro per iudicia anfractuosa tractari, idcirco, ut Religiosi, remotis impedimentis, & iudicialibus contentionibus, sub Religiosis tenari iugo quiete vivere, & gratum Altissimo familiarum prebere valeant disponitur eorum controversias per dictam Sacra Congreg. summarie decidi debere.

Quod etiam ex iuris communis dispositione, vel intentione originaliter trahit, quoniam causa Religiosorum sine

strepitu & figura iudicii, summarie, ac absque tela iudiciali cognosci debent ad text. in cap. qualiter & quando, secundum in fine de accusationibus, Lap. allegat. 72. num. 4. & ceteri plene collecti per Adden. ad eundem. Item. ac plures dicit Rota, praesertim in Posnanien. Abbacia, prima Julii 1647. coram Celsio inter suas dec. 25. n. 9.

Et ex qua ratione, causas Regularium extrajudicium ordinem, ejusque superiores (sub quorum nomine ultra proprios Praelatos Regulares veniunt Cardinalis Protector, & haec sacra Regularium Congregatio) plene probat Fagn. in cap. de Priore de appell. ubi referuntur determinationes particularis Congregationis de anno 1690. erectae de ordine Innocentii X. ne Regulares ordinaria Tribunalia forensia adeant. Nihilominus dicebam haec recte procedere, ubi agitur de causis & controversiis, vel inter ipsos Religiosos in particulari, vel inter Religiosum & Monasterium, five inter unum Monasterium, & alterum, & sic in casibus, quibus dicta ratio congruat. Secus autem ubi controversia esset cum aliquo seculari, quoniam tunc, tanquam in casu, tam verbis, quam ratione per dictam Constitutionem omnino, intacta remanet iuris dispositio, ut cause coram suis iudicibus ordinariis & competentibus cognoscantur iuxta regulam text. in cap. si clericus laicum de foro competenti, de actore conveniente reum in suo foro, ut advertitur per eundem Fagn. in dist. cap. de Priore, n. 21. Et hic erat casus, quoniam dum actor, jam in vim retroractionis ab annulatione professionis resultantis, se declaraverat ab initio secularem, idcirco, quemadmodum in aliis controversiis, quas tractari contingeret inter Monasterium, ejusque affectuarios, vel administratores seculares, coram forensibus, & ordinariis Tribunalibus in forma iudiciali id sequi debet, ut quotidiana inconcussa praxis docet, ob cessante dictam rationem, ob quam inter ipsos Religiosos aliter statum est, ita in praesenti.

Alia etiam fortiori ratione ponderata, quod resultaret alias inconveniens, ut inducitur ad favorem retroquerentur in odium, atque ille, qui in statu Religiosi sciens iure professionis invaliditatem non sine culpa se ingessit in religiosis muneribus, ac illa administratione, que non nisi Religiosis professis conceditur, resultaret commodum & privilegium in praedictum Monasterium innocenti, & quodammodo ita injuriati, vel offensi, contra scripti & naturalis iuris principia, quoniam iuxta quotidianam praxim Signaturae gratiae, processus appellatio remota regulariter non conceditur nisi iuxta concurrente causa inducente in petente quandam gratiam, seu privilegii concessionem, que causa restringi solet, vel ad actam sanguinis & conjunctionem, vel ad nimiam paupertatem, seu pro gravibus dissidiis, vel scandalis evitandis, five in iuribus vitalibus ob gravem aetatem, cum similibus ex deductis per Marchel. de commiss. sub tit. de commiss. appellat. remota, & habetur pluries in sua materia sub tit. de iudicis & iudicialibus. quo posito resultaret alias absurdum quod actor ita, ut dictum est, ab aliqua culpa non sejunctus, illam gratiam, seu privilegium procedendi summarie & appellatione remota obtineret contra Monasterium, cui innocenti, & offenso ita praedictari diceretur. Quoniam appellatio dicitur specics defensionis, que regulariter tollenda non est, nisi quibus aliqua iusta & potentior causa concurrat, que iussocet alteram causam, seu rationem, cui hoc beneficium a lege introductum inimicum est, dum huiusmodi Sacra Congreg. utpote summarie & in forma potius extrajudiciali procedentes, non habent iudicialium instantiarum diversitatem, ob appellationis beneficium resultantem. Ac etiam quia, dum procedunt, ut dictum est, in forma extrajudiciali, incongrue illis videntur causa formalem processum exigentes, ut in declarationibus editis per eundem Sixtum V. decernitur, quod in praesenti exigi videbatur. Tum quia ad effectum fidelitatis, ad administrationis paritatem dati, & accepti essent fideliter in libris descripte, per necessitate oportebat examinare testes, ac inducere peritos, aliosque facere probationes. Tum etiam quia eadem probationes requirebantur ad iustificandum, an bona penes dictum actorem petita, dum in statu Religiosi de facto erat, quaesita essent intuitu & occasione Religionis, seu status religiosi, vel potius aliunde penderent determinatio, ut restituenda essent necne, vel potius Religiosi, seu Monasterio quaesita. Et sic ex pluribus veris iudicis & probabilibus videbatur dicta Monasterii petito, que tamen ob concursus tamen perennatum, ex prudentialibus motivis a me quoque laudatum & consultum, & ulteriorem progressum non habuit.

ANNOT. AD DISC. XCI.

De ista Congregatione Regularium in Relat. Curiae, dist. 16. & de modo tractandi causas Regularium sub tit. de Regl. dist. 1. & 22. & in annot. ad Concil. Triad. dist. 38. sub Clemente X. ex decreto Congregationis deputatae ab eodem Pontifice confirmato, innovata est declaratio Constitutionis Sixti V. ut in Sacris Congregationibus non tractentur causas contentiose; Verum desuper certa non eadit regula adeo ut sub ipomet Pontifice, id non servari frequenter praxis doceat, cum pro arbitrio Sacrae Congregationes id praticent.

LUCANA JURISDICTIONIS AD INSTANTIAM REIPUBLICAE.

Responsum pro veritate.

An professores militiarum S. Jacobi de Spata, de Calatrava, de Alcantara, SS. Mauritiis & Lazaris, & S. Stephani ac similibus, sint veri Religiosi, Et quatenus non an saltem sint persone Ecclesiasticae exemptae a jurisdictione & foro laicali. Et in specie de militia S. Stephani, an in aliquo ab aliis militibus differat.

SUMMARIUM.

- 1 De erectione militiae S. Stephani, & casu controverso.
2 Sub nomine Ordinariorum locorum qui veniant.
3 Verbum, alius, denotat similitudinem.
4 Papa a possit, vel solent eximere laicos subditos Principum secularium, eosque subijcere alteri Principi, & num. 14.
5 Ex solito, seu stylo Papa desumitur eius voluntas.
6 De operatione clausulae sine praedictio, & quando hac intret in gratiam praedictio.
7 An militiae S. Jacobi, de Alcantara, & de Calatrava, & similes sint re ipsi.
8 An gradus, & similes sint capaces successione feudorum.
9 An sint persone Ecclesiasticae.
10 De pluribus differentiis inter militiae S. Stephani, & alias militiae Ecclesiasticae.
11 Militia S. Jacobi, de Alcantara, & Calatrava habent indulgentiam Apostolicam super exemptione fori.
12 In dictis militibus sit annus novitatus, ac etiam attendantur aetas praescripta a Conc. Triad. quod non procedit in illa S. Stephani.
13 De magno Magistratu dictionum aiarum militiarum.
14 De eadem concessione, de qua num. 4.
15 Qua & qualia vota emittantur in his militibus.
16 De observantia circa exemptionem fori professorum militiarum Ecclesiasticarum.
17 De antiquis militibus Gaudentibus Templariis, & Hospitalariis.
18 De circumstantiis, ob quas observantia magis deserendum est.
19 Quando exemptio huiusmodi militiarum intret, & de declarationibus Sacrae Congreg.
20 Reprobantur aliqui Doctores.
21 An processus & acta contra exemptum valeant ob non oppositam declarationem.
22 Commenda militiae S. Stephani quomodo regulemur.
23 An illi milites gaudeant beneficio de quodlo ne ceat.

DISC. XCII.

Postquam ex concessione Pii IV. Cosmus Florentiae & Senatus Dux, de anno 1651. erexit militiam, sub invocatione S. Stephani Papae & Martyris, cuius ipse Dux, ejusque pro tempore successores, essent M. Magistri, atque de anno sequenti, idem Pius dictam militiam jam erectam ejusque ordinationes confirmavit, & approbavit, eidem militiae cuiusque professoribus plura concedendo privilegia, praesertim illud exemptionis per verba praecisa; ab omni jurisdictione, superioritate, visitatione, dominio, & potestate quovis Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque locorum Ordinariorum, alioque immediate subiecti dicto Duci, tanquam M. Magistro in spiritualibus, & temporalibus eius modo & forma, quibus in istis militiae status ordinatioibus continetur, ita quod istos locorum Ordinariorum, nullam in jurisdictionem, superioritatem, dominium, vel potestatem Card. de Luca, Lib. III.

etiam ratione cuiuscumque contractus, delicti, vel alterius rei exercere valeant, &c. ut patet ex tribus ejusdem Pii litteris, seu Constitutionibus impressis in volumine Statutorum ejusdem militiae, seu Religionis, quarum duae sunt etiam impressae in Bullario, illas dicit Pontificis Constituit. 60. & reseruit etiam Vivian. de jurapatron. part. 2. l. 6. cap. 2. num. 19. cum seq.

Cum autem unus ex dicta militia professoribus Civitatis Lucen. ex causa insultus in mulieris praefidatibus, per Magistratum illius Republicae, servatis servandis, nulla opposita fori declinatoria, ad quamdam penam pecuniariam condemnatus esset, dictaque condemnatione sequuta, de illius nullitate opponeretur, ob fori laicalis incompetentiam; hinc proinde ex parte Republicae, cum praesupposito quod a tempore erectionis dictae militiae usque ad illud casus controversae, semper ejus officiales cognovissent causas civiles, criminales & mixtas huiusmodi militum, alias rationes originis, vel domicilii, aut contractus, seu delicti subditorum, absque eo quod quicquam in contrarium sequutum esset, consilium pro veritate petit ad pluribus clari nominis Italiae J. C. cum quibus ex erronea forte vulgi opinione, vel agendum affectione, placuit inter, seu pro ea agentibus, me quoque desuper consulere.

Respondi pro clario resolutione duas constituendas esse inspectiones; unam, inspecta dicta Constitutione Pii IV. tanquam iure speciali & privilegiativa; alteram, quatenus ex illa id non resultaret, inspecta dispositione iuris communis, & huiusmodi militiae natura, seu qualitate.

Quatenus pertinet ad primam, credebam pro meo iudicio, dictam Constitutionem in verbis supra registratis non comprehendere casum exemptionis a foro seculari, ac jurisdictione & potestate proprii Principis, ex triplici ratione: Primo quia loquitur de potestate, jurisdictione, & superioritate Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Ordinariorum loci, sub quorum nomine in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & apud Canonistas, regulariter veniunt & applicari solent superiores Ecclesiastici, ordinarii Episcopales, vel quae jurisdictionem habentes, ut post antiquiores ab eis allegatos, habetur apud Cocchier. de jurisd. in exemptis, part. 1. quest. 1. Patil. de resim. lib. 3. quest. 11. Barbol. de appellat. verb. formi, appellat. 176. Rota dec. 798. part. 3. divers. 273. part. 11. rec. & passim, ac habetur frequenter in praecedentibus hoc ito. catione jurisdictionalium controversiarum inter Ordinarios & Praelatos inferiores, vel exemptos; Quod claris obervabam comprobari, quia in verbis ut supra registratis, enumerantur Archiepiscopi, Episcopi, alique locorum Ordinarii, dum verbum alius denotat similitudinem ex collectis per Barbol. dist. 26. n. 1.

Secundo quia extra temporalem ditionem Sedis Apostolicae, quodquid sit de potestate, amilicet possit Papa, laicos & subditos Principum secularium ex ratione alicuius pii instituti fori jurisdictione eximere, illosque subijcere jurisdictioni alterius Principis secularis, qui in alienis ditionibus privative ad proprios dominos jurisdictionem, & imperium exerceret, super quo puncto, integrum locum veritati relinquendo, manus apponere non cenlui; Atamen admittenda etiam potestas, certum est, Papam non de facili ad huiusmodi potestatis exercitium devenire solitum esse, ut in magis plans terminis concursus in collatione beneficiorum, cognitione causarum in prima instantia, & similibus, etiam cum Ordinariis Ecclesiasticis ejus subditis, & cum quibus absoluta potestas est indubitata, receptum habemus, ut praesertim in proposito concessit cum ordinariis collaboribus habetur apud Gonzal. ad res. 8. sit. 4. proam. Rota dec. 25. num. 11. part. 10. rec. & habetur etiam in Ceraugulana Canonica sub tit. de Canonici, & alibi. Quod satis attendendum est ad metiendum, seu interpretandam voluntatem, que a stylo, seu consuetudine descendenda venit, ut apud Manic. dec. 214. Gregor. & adden. dec. 150. num. 2. ubi add. in fin. adden. ad Burratt. dec. 501. num. 11. & frequenter. Nil obstante, quod Sedes Apostolica huiusmodi privilegia concedere consueverit consimilibus militibus, quoniam in illis diversam militat ratio, ut infra.

Et tertio propter clausulam sine alicuius praedictio, contentam in prima Constitutione, per quam conceditur facultas huiusmodi militiae fundandi, cuius clausulae virtus & operatio est, iuxta satis notorium & frequens axioma, primo reservandi quodcumque alterius jus, vel praedictio; Et licet receptum e converso sit, in novis erectionibus tanquam gratis perneceffe & de sui natura praedictio, huiusmodi clausulam non facere suam consuetam operationem, pro

ut neque obflare regulam de jure tertii quaesito non tollentur. Scraph. 1445. cum aliis supra, in Romana jurisconsultorum, seu tituli Cardinalitii, hoc eod. tit. discurs. 34. ac etiam hoc eodem libro, sub tit. de praemissis in Messanen. disc. 9. & in aliis; Nihilominus id procedit quoad expressa & incomparabilia ad evitandam contradictionem & repugnantiam, secus autem in non expressis & comparabilibus, unde cum dicta Constitutio, de Principibus secularibus, ac foro laicali non loquatur, nullaque dignosci videatur incompatibilitas, idcirco dictae clausulae consuetudo tribuenda est, potissimum vero pro interpretatione voluntatis, aliis etiam rationibus ut supra ponderatis insimul unitis cum regula, ut singula quae non prosunt &c.

Quare examinando articulum in puris terminis juris communi, occasione militiarum S. Jacobi de Spata, de Calatrava, & de Alcantara. Disputant DD. an istae sint verae Religiones, earumque milites, & professores veri religiosi, Et quatuor habentur diversae opiniones, quas, earumque sequaces distincte recitet Carl. de jud. tom. 1. d. 2. ex n. 41. qui forte omnium latius de his militiis agit, & relative ad eum Ursin. de iur. feud. p. 1. q. 9. ar. 4. n. 6. occasione agendi de istorum militum capacitate in successione feudorum, de qua obiter occasione agendi de capacitate ejusdem successione militum S. Joannis Hierosolymitani habetur actum in Pennina successione, sub tit. de feud. disc. 16. & ad satisfactam colligit Cortiada dec. Aragon. 6. ex n. 61. cum seq.

Quamvis autem apud Morales, ac aliquos modernos Canonistas, magis communitate recepta videatur opinio affirmativa, ut professores dictarum trium militiarum habendi sint pro veri Religiosi, ut ceteris allegatis habetur apud Barbo. de potest. Episc. alleg. 12. n. fin. Spel. dec. 2. n. 144. & seq. Carlev. loco citato, numer. 415. quibus annexi possunt Novar. & ceteri, ut infra idem dicentes in fortioribus terminis hujus militie S. Stephani.

Nihilominus, ex communi sensu antiquorum Canonistarum, ac etiam Moralium, excepta militia S. Joannis Hierosolymitani, quam indubitatum est esse veram Religionem, omnino verior, magisque recepta est opinio, quam tenet Rota & Curia Romana in contrarium, ut apud Scraph. dec. 587. Casar. de Graff. dec. 1. de probat. Duran. dec. 95. & 308. quarum secunda est repetita apud Posth. de manut. dec. 326. Romana d. 11. Febr. 1647. coram Bichio, quae omnes decisiones loquuntur de dictis tribus militiis S. Jacobi de Spata, & Calatrava & Alcantara.

Et de militia Sanctorum Mauriti & Lazari, quod non sit vera Religio, minime ejus professores Religiosi, seu Regulares Rota in Veronen. pensionis 23. Febr. 1600. coram Lancell. in qua supponitur hujus militie professores emitte re formiter vota solennia, eodem modo quo illi dictarum aliarum trium militiarum.

Et in individuo hujus militie S. Stephani apud Scraphin. dec. 122. repetit. dec. 591. p. 1. divers. & in voto trium Rota Auditorum registrato dec. 228. p. 3. rec. cum quibus pertransiunt Garz. de Benef. p. 1. cap. 4. n. 17. & seq. & ceteri Beneficialiter communitate, dictaque decisio Scraph. ac votum habentur in eodem volumine Statutorum istius militie, ubi etiam de aliis declarationibus in idem tendentibus; Unde liquet ab ipsamet Religione expediens reputatum fuisse excellenti qualitate regularem, ac vera Religio, & cum quo sensu etiam hodie per ipsos officiales, & administratores proceditur, ut etiam infra insinuatum habetur relative ad causam in Pisana Prioratus de Grifonibus, de qua sub tit. de Jurispar.

Verum quia in supra allegatis decisionibus, praefertim vero in d. Romana d. 11. Febr. 1647. cor. Bichio, & apud Duranum d. dec. 95. & 308. in quibus de dictis militiis Hispaniae, & in d. Veronen. cor. Lancell. in qua de altera Sanctiorum Mauriti, & Lazari, quamvis excludatur qualitas religiosa, seu regularis, admittitur tamen, ac supponitur qualitas Ecclesiastica, quam admittunt etiam Garz. & ceteri dictam qualitate Regularem negantes, quod scilicet hujusmodi professores sint personae Ecclesiasticae a foro laicali exemptae, idcirco in proposito nullius operationis remanet dicta inspectio, super qualitate regulari, seu religiosa, cum ad effectum praesentis controversiae, sufficeret dicta qualitas Ecclesiastica, ad quam restringitur difficultas.

Quidquid autem sit quoad hujusmodi qualitate respectu dictarum militiarum, de quibus loquuntur praefatae decisiones, & auctoritates, ac aliae apud Carlev. Novar. & Spel. sit supra, illa tamen dicebam non ita locum habere in ista militia ex pluribus differentiis rationibus, ex quibus non bene a dictis aliis militiis ad istam inferretur.

Primo, quia dictis militiis, S. Jacobi, de Calatrava, & de Alcantara, supponitur, expressè & specialiter concessa fuisse indulta Apostolica super exemptione fori laicalis, praefertim per Alexandrum, Lucium, Urbanum, & Innocentium respective tertium, Gregorium IX. Martinum V. Leonem X. Pium V. Clementem VIII. & Paulum V. ut per Didacum de la Morta de confraternitate ordinum D. Jacobi, lib. 1. c. 4. §. 2. 6. 7. 29. & 35. & alibi, Barbo. de Episcopo, d. alleg. 12. n. 45. Spel. d. dec. 2. de Marin. resol. 44. lib. 1. Carlev. d. diffus. 2. n. 420. & 425. cum seq. Formosini de iudicio & foro compet. tom. 1. ad text. in cap. 2. eod. tit. de foro compet. q. 16. Novar. de elect. fori 2. part. 2. q. 69. Matril. dec. 290. ubi registrantur litterae Regiae continentis indulta Clement. VIII. & Pauli V. Unde quicquid sit dictorum de indulgentiarum observantia & executione, quae neque est uniformis, ut infra, illa non habentur in specie per istam militiam, quoniam tam in dictis Constitutionibus Pii IV. quam in aliis Pii, Sixti, & Pauli respective Quinti, de ista militia S. Stephani loquentibus, & quae privilegia concedentibus, nullum verbum habetur de exemptione fori laicalis, quam in dictis aliis militiis, multi ex supra allegatis in hujusmodi indultis fundant.

Secundo, quia licet etiam dictae aliae militiae, juxta opinionem, quam ut supra sequitur Rota, & quae in puncto juris omnino verior censenda videtur, non sint verae & propriae Religiones. Nihilominus in illis, ad Religionem instar servatur dispositio, tam juris communis, quam Sacri Concilii Tridentini circa annum probationis, ac circa aetatem ab eodem Concilio ad professionem praefertim, ut ceteris allegatis testatur Spel. d. dec. 2. n. 52. Et tanquam absolutum supponit Carlev. in materia veritatis, dum ex n. 439. plenè tractat questionem, an idem fori privilegium competat Novitiis.

E converso autem in hac militia dictae juris communis, vel Concilii dispositio, tam circa aetatem, quam circa annum probationis non attenditur. Scraph. d. dec. 121. & d. dec. 228. p. 3. rec. quae sunt etiam impressae in libro statutorum ejusdem Religionis.

Tertio, quia dictae tres militiae Hispaniarum, in sua prima origine, cum longeva observantia, habebant proprium Generalem, seu M. Magistrum, alioque Praelatos & Superiores, per electionem sibi constitutos de eodem ordine respective, absque aliquo nationum, vel personarum differentia, eodem modo quo praecatur in militia S. Joannis Hierosolymitani, unde propterea non inerat illa postrema ratio inconveniens, seu praesudicialis aliis Principibus resultantis, quod aliquis Princeps laicus, sive hoc pro pretextu sibi assumat potestatem in aliis Principibus & ditionibus exercendi privatam jurisdictionem in eos, qui ratione originis, vel domicilii sunt aliorum Principum subditi, ac verè & de facto in propriis domibus, cum txoribus, & filiis, & vivunt more aliorum secularium, in nihilo ab istis differentes.

Non sic est in ista militia, quae ab ipso creationis initio nata est subdita invariabiliter unius Principis secularis, qui forte ad instar illarum militiarum, quas ceteri Principes in eorum ditionibus exercent, ut sunt, ex gr. illa Aurevelles in militia Hispaniae, & Spiritus Sancti in Gallia, cum similibus, hanc militiam speciem in propria ditione erigere voluit, unde intrant de plano absoluta per DD. in proposito considerata, non quidem, ut supra dictum est, in ordine ad potestatem Regis impendiendi etiam in aliis subditiis aliquam qualitate Ecclesiasticam, ex qua de consequenti exemptio fori laicalis proveniat, tanquam dicta qualitas effectus, ex collectis per Spel. d. dec. 2. n. 111. cum seq. Carlev. d. diffus. 2. n. 427. (quam inspectionem utpote non necessariam assumere, & formiter examinare neglexi), sed solum, ut supra dictum fuit, ad regulandam ejusdem Pontificis voluntatem.

Et quamvis praefatae tres militiae, per Alex. VI. in perpetuum essent commendatae Regi Hispaniarum pro tempore, quo ita natus est earum professor, & perpetuus M. Magister hujusmodi militiae administrans per quoddam particulare Consilium ordinum nuncupatum, quo tanquam species definitoria, constitutum est ex eorundem ordinum professoribus, ex his quoque habentur in Toletana de Vales sub tit. de Regularib. Attamen id non immutat ipsarum militiarum substantiam, seu naturam ab earum erectione impressam, neque tollit factam legitime firmatam. Adinstar monasteriorum & Beneficiorum Regularium, quae dantur in commendam clericis secularibus; seu adinstar Episcopatum, qui dantur in commendam, seu administrationem perso-

personis in ordine Episcopali non constitutis, cum similibus, quoniam est accidens circa solam administrationem unius Praelaturae, reliquis omnibus Praelaturis, & officiis in suo primo statu continentibus.

Quarto fortissime, quia in dictis aliis militiis, praevio anno probationis ut supra, fit solemnis professio, cum formalis emissione votorum obligantium, nedum ad peccatum juxta vota naturam, sed etiam ad sacrilegium, apostasiam, & alia ex hujusmodi solemnium votorum violatione resultantia, ex collectis apud eundem Spel. d. dec. 2. n. 55. & seq. Quinimo in istis militiis emittebatur formale votum continentiae, quo moderno tempore ex Apostolica dispensatione concessa per Paulum III. commutatum fuit in castitatem conjugalem, ut de militia Alcantarae habetur apud Rot. dec. 266. n. 6. p. 2. divers. & generaliter de omnibus Matril. d. dec. 290. n. 129. cum seq.

Non sic est in ista militia, in qua, nullo praevio formalis novitatus, non emittuntur formalia, & solemnia vota, sed solum fit quadam solemnitas susceptionis habitus, cum aliquibus promissionibus super virtutum, & stabilimento- rum observantia, non habentibus formam voti, neque obligantium ad peccatum, ut expr. esse disponitur in dicta Constitutione 60. Pii IV. §. 5. & bene ponderatur in d. voto, seu dec. 228. p. 3. rec. ubi habetur quod etiam canonici saeculares in ingressu aliquas promissiones facere solent. Quod in proposito militum devotionis S. Joannis Hierosolymitani, bene ponderatur per Rot. in Fulgentinae hereditatis coram Verosio dec. 15. part. 1. recent. repetita post resol. Dianae part. 10. ubi adducitur exemplum Monasterii Turris speculorum Urbis, in quo illae Oblatae in actu susceptionis habitus, seu in quadam alia solemnitate, quae vulgo dicitur professio, plures faciunt promissiones, & quidem super observantia strictissimi acatis rigorosi instituti, & tamen sunt simplices Oblatae, non autem professae ex deductis per Syriac. contraven. 504. ac habetur de illis actum sub tit. de successione & alibi. Eademque promissiones fieri solent in dictis aliis militiis merè secularibus, autem velis, & Spiritus Sancti, cum similibus, quia, ut dictum est, non sunt vota, sed promissiones simplices, quae etiam faciunt illae Canonicae Germaniae, de quibus apud Lotter. de Benef. lib. 1. q. 19. n. 15. quae tamen sunt saeculares cum similibus.

Et Nihilominus, etiam in dictis tribus militiis, S. Jacobi, de Alcantara, & de Calatrava, in quibus tot circumstantiae ad differentia rationes concurrunt ut supra, adhuc receptum est, circa forum deserti observantiae, quae in eademmet Hispania est diversa, juxta singulorum Regnorum, seu Provinciarum mores, seu causarum qualitates, ut testatur Larrea, alleg. 64. Cortiada d. dec. Aragon. 8. n. 98. cum seq. ubi refert etiam in ipsamet Hispania diversas illorum Regnorum consuetudines & Carlev. ubi sup. num. 454. infra. qui num. 438. idem testatur de observantia Regni Neapolitani, ob non receptas, seu non exequutorias litteras Regias continentes Apostolicas Constitutiones Clem. VIII. & Pauli V. Et in Regno Siciliae ultra id servari, quia dictae litterae fuerunt exequutoriae, testatur Carol. de Graff. de effectu clericali. n. 115. ubi tamen de contraria observantia militum Sanctorum Mauriti & Lazari, ac istorum S. Stephani, qui pariter in hoc Regno Siciliae citra, jure merè secularium sine dubio tractatur; Ideoque etiam in praesenti, certa supponere observantiam, etiam nativam, & ab ipsamet erectione, per saeculum & ultra continuata, dicebam videri esse in casu indubitabili, quoniam si illa sufficeret, & attenditur in dictis aliis militiis adeo majores circumstantias habentibus, multo magis in praesenti de statu saeculari magis participante ut supra.

Ea etiam satis notabili circumstantia circa hujusmodi observantiam ponderata, circumstantia est nimia vicinitate, & adjacentia istius Principatus, seu ditionis cum Civitate Pisana, ubi est hujus Militie sedes Metropolitica, & resident ejus Officiales majores, ita ut omnino certa, & inexcusabilis videatur scientia, & potentia, magis quam in aliis remotioribus ditionibus; Et multo magis ubi subsisteret facti praesumptum, quod quandoque ipsem M. Magister, vel ejus primi ministri, litteras istorum militum commendatarum Magistratibus secularibus scripserunt, ita enim omnis difficultas cessare videbatur.

Posto enim quod, ob instituti pietatem, atque ob Sedis Apostolicae auctoritatem, & approbationem, hujusmodi professores in aliquo differant a merè secularibus, ita ut large, & impropre dici valeant personae Ecclesiasticae, adinstar antiquorum militum, Gaudentium, Hospitaliariorum, Tem-

pliariorum, & similibus, de quibus loquuntur Bart. in litemper, §. quibusdam, ff. de iur. immuni. Speculator. tit. de Statu monachorum, q. 36. Abb. in rubr. de Regular. n. 4. & in c. 2. de foro competenti. num. 11. Socin. cons. 13. lib. 1. bene Casti. de Graff. dec. 2. de probat. n. 18. & ceteri per Matrill. Spel. Carlev. & alios ubi supra. Nihilominus cum non sint veri Clerici, seu Religiosi, quo casu, ob omnimodam incompetentiam, seu incapacitatem intrat infectio civiliumque contrariae consuetudinis, vel praescriptionis adversus Ecclesiasticam immunitatem, utpote juxta unam opinionem probabiliorem, a jure divino manentem, negari non potest casum esse ambiguum, in quo proinde deferendum sit dictae observantiae.

Dictaque observantia fortius attendenda est ob duplicem circumstantiam; Primo scilicet quod non est modicum temporis, quod etiam sufficiens reputatur ad interpretativam, sed est annor. 100. & ultra, & ultra, & sufficit ad quamcumque privilegiativam praescriptionem, seu melius ad probationem civiliumque tituli de mundo melioris, & sic etiam declarationis Apostolicae; Et secundo quod non agitur de praescriptione, seu consuetudine derivata, tollente scilicet jus jam praescriptum, & questum, sed de nativa, id est de opponente principio acquisitionis, ac impediendo usum, & executionem dicti indulti Apostolici, eodem modo quo in fortioribus terminis indulgentiarum dictarum aliarum Religionum, expressè continentium exemptionem fori, ob non usum, seu non receptionem ab initio, cum successiva longissima observantia, habetur apud allegatos loquentes de utriusque Siciliae Regnis & aliis ditionibus.

Et sic ea, quae per scribentes in materia dicuntur, ut in aliquo deferendum sit Apostolicae auctoritati, cum qua hujusmodi militiae erectio facta est, ac etiam pietati instituti, utpote similitudinarii illius militie S. Joannis Hierosolymitani, rectè procedere dicebam, vel in casu quo res esset integra & recens, ita ut dicta contraria observantia non oblatret. Vel ubi è converso observantia assisteret, ut supponitur assistere in Statu Ecclesiastico, in quo tamen non multum differ hujusmodi exemptionibus instituti, utpote in effectum habere in manibus, dum Papa in hac ditione, est Pontifex, & Rex, cum potestate puniendi, tam laicos, quam Ecclesiasticos, & exemptos, unde propterea nil recitet, an indagat per unum & alterum ex ejus ministris.

Atque ita dicebam responderi ad aliquas declarationes S. Congregationis, quae circumferuntur occasione exemptionis istorum militum a collectis & oneribus laicalibus in una Urbevetana & in una Novariensi, seu alia, & qua deducebantur etiam in Romana liberationis alia a molestis disputata in Rota, & de qua sub tit. de credito super questione, an hujusmodi milites S. Stephani gaudent beneficio, cap. Ovaridi de solutionibus, cum dictae declarationes perierint, vel casus contingentes in Statu Ecclesiastico, vel cum praesupposito observantia, secus autem ubi ista per saeculum & ultra, & ab ipso initio est in contrarium, cum observantia in proposito omnino deferendum videatur, ut supra.

Hinc proinde dicebam, nullatenus curandum esse de his, quae tumultuario studio, ut ipsem testatur, & cum satis debilibus fundamentis dixit Navar. cons. 170. de Regular. lib. 3. 26. juxta unam impressionem, alias cons. 23. quod isti milites essent veri Religiosi, dum ex praescriptis hoc dictum manifestè convincitur erroneum; Prout, & nullam rationem habendam esse de consideratione comparationis, quam facit Novar. de elect. fori dicta q. 69. num. 37. Barbo. de Episcopo, d. alleg. 12. num. 45. Caball. tract. criminal. casu 225. num. 15. & seq. & alii de ista militia, cum praefatis, Sancti Jacobi, de Calatrava, & de Alcantara, ob tot notabiles differentias ab eis non consideratas, potissime vero, nullatenus deferendum esse Caballo, utpote hujus militie, vel ejus M. Magistri stipendiario, ad solam opportunitatem non autem ad veritatem scribenti, & sic resti suspedo, ut etiam dici potest de Ansaldo, & similibus, ejusdem militie ministris, seu stipendiariis.

Et his stantibus, respondendo pro exemptionis exclusione, praefertim ex motivo observantiae ut supra, inane censui alteram questionem particularem, an scilicet posita etiam exemptione, adhuc tamen quoad validitatem processus & condemnationis oblatret non opposita declinatoria, ut creditur Marta de jurisdictione, part. 4. centur. 2. caso 123. numer. 34. cum sequentibus. Quando autem de hoc puncto agendum esset, tunc posita exemptione, probabilis pro nullitate gestorum respondendum esse dixi, non quidem ex Auctoritate Anfaldi acriter impugnatis Martam ubi supra in ejus tractatu